le non melior. fil. c. 5. num. 2. ergo tenetur pater tali uxori alimenta præſtare. Sic tenent multi, quos refert, & ſequitur *Rimin. ibid. Lud. Lop.* 1. *p. inſtr. in* 2. *edit. c.* 20. 4. §. *Sequitur & alia qu. fine*. Non tamen audiendus eſt idem *Lud. Lop.* quatenus limitat, ſi filius honeſtam, & dignam uxorem ducat. Idem enim dicendum eſt, quando indignam ducit: cum ex hac cauſa exrhedari nequeat: & conſequenter nec alimentis neceſſariis privari: ut dixi n. 19.

22 Tandem rogabis, quale matr. dicatur indignum, ut filii illud ineuntes, dote, & alimentis non neceſſariis ad vitam privari poſſint? juxta dicta n. 19. Aliqui cenſent eum conjugem indignum dici matrimonio alterius, qui indignitate turpi affectus eſt; ut ſi ſit infamis, non autem qui imparis eſt conditionis. Sic *Ang. v. Dos num.* 4. ubi *Sylv. q.* 4. *Tabiena, q.* 3. *n.* 4. *Armill. n.* 6. *Specul. conſcientiæ, tr.* 1. *c.* 53. & referunt *Antonium, & Immolam, c. Accedens de procur.* Sed neuter id affirmat.

23 VI. Concluſio ſit; is conjux dicitur indignus, cui alter matrimonio copulari abſque dedecore, juxta civitatis mores, nequit. Prob. ex *l.* 2. *tit. De los caſamientos, l.* 3. *fori*, ibi, *y ſi ella caſſare con alguno que no ſea convenible para ella, y para ſu linage*. Et facit optime, *leg. Si adulterium cum inceſtu*, §. *Stuprum*, ibi, *contumacia juris, & ſanguinis contumelia, ff. ad l. Jul. de adult.* Sic docent *Berojus l. Cum ita l.* 1. *ff. de condit. & demonſtr. & l. Si rogatus, ff. de manum. vindic. Bal. l. Si pater C. de ſponſ. & l. Nec filium, C. de nupt. Alex. conſ.* 209. *num.* 2. *l.* 6. *Pariſ. conſ.* 29. *num.* 16. & 17. *l.* 3. *Suar. l.* 3. *fori. tit. De los caſamientos, l.* 2. *num.* 7. *Acoſta, l. Cum tale*, §. *Si arbitratu, ampl.* 3. *num.* 2. *ff. de cond. & dem. Tello, l.* 30 *Tauri, num.* 9. *Menoc. de præſump. l.* 4. *præſum.* 189. *n.* 85. *fin. Mantica de conject. ult. vol. l.* 11. *t.* 18. *num.* 4. *Meres de major.* 1. *p. c.* 50. *num.* 10. & 11. Favet *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 8. *nu.* 7. ubi dicens patrem non teneri dotare filiam nubentem indigno, reddit rationem, quia indignis nuptiis totum familiæ decus denigravit; ergo cenſet indignum matr. eſſe, quod ſine familiæ dedecore iniri nequit.

24 VII. Concluſio: indignus etiam judicatur ex bonis animi: ut ſi conjux malis moribus imbutus ſit, *leg. Sed ea, ff. de ſpoſ.* ibi, *indignum moribus, & turpem ſponſum: & l. Nuptiæ, C. de nuptiis*, ibi, *& ſi pares ſint, genere, & moribus*. Sic *Menoc. dict. præſum.* 189. *n.* 85. & favent *Angel. auth. quib. mod. naturales offic. leg. & Bal. l. Nec filium, C. de nupt.* ubi dicunt, meretricem eſſe perſonam indignam. Et idem dicit *Menoc.* de viro, qui meretricatur, vel leno eſt.

25 Indignus etiam dicitur conjux ex bonis fortunæ. Sic alios referens *Menoch. de præſump.* 189. *n.* 85. Ut ſi pauperior notabiliter ſit. Quod intelligo, niſi aliunde exceſſus hic in divitiis compenſetur; ut ſi pauperior, nobilior ſit.

26 Ultima concluſio, indignus etiam dicitur is, cum quo matrimonium conſiſtere non poteſt ob aliquod impedimentum, niſi in eo ſit diſpenſatum. Quia nuptiæ debent eſſe convenientes de jure, & de facto. Ut docet *gl. l. Si rogatus*, §. *Matrimonii, v. Matrimonii, ff. de manumiſ. vind.* Sic *Bald. l. penult. C. de ſponſal. Francus c. unico*, §. *Porro, num.* 1. & 2. *de deſponſ. impub. in* 6. *Joan. Lup. c. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor. notab* 3. §. 7. *num.* 4. *Suar. allegatus, num.* 23. *Menoch. dict. præſumpt.* 189. *num.* 86. *Capua lib.* 2. *deciſionum, c.* 55. *num.* 20.

27 Et hæc quidem maxime advertenda ſunt, ad verificandam cauſam allegari ſolitam in matrimonialibus diſpenſationibus. Quia non invenitur conjux æqualis. Quamvis enim genere, & divitiis æqualis, ſi peſſimis moribus imbutus ſit, dicetur indignus, & inæqualis: vel ſi divitiis, aut genere inæqualis ſit, ita ut prudentis arbitrio ignominioſum ſit cum illo matrimonium inire.

28 Tandem reſpondetur ad argumentum 3. ſententiæ, propoſitum n. 14. fateor enim dotem ſuccedere loco alimentorum, & ita ſicut filiæ diviti invito patre nubenti non debentur alimenta, nec dotem deberi quando vero eſt pauper, ſicut debentur alimenta, ita & dotem in quantitate neceſſaria ad ea: ut probavi n. 18. & 19.

DISPUTATIO XXVII.

Qualiter probandus ſit metus?

SUMMARIUM.

Metus qualiter probetur, remiſſive, num. 1. *Et ibi, magis creditur duobus de metus deponentibus, quam mille de ſpontanea voluntate.*

Quid, ſi adſint præſumptiones ſpontaneæ voluntatis? & quales debeant eſſe, 2.

Quid, ſi probatio ſpontanea voluntatis non ſit ſimpliciter negativa, ſed coarctata? n. 3. *& ibi, quando ſit arbitrarium quibus potius credendum ſit.*

CIrca metus probationem, conſulendi ſunt *Menoch. l.* 3. *preſum. tota preſum.* 4 *Maſcar. de probat. concl.* 1055. *& aliquibus ſeq.* Solum advertere volo axioma illud commune *Innoc. c. Super hoc renunciat. num.* 2. ubi ait, magis credi duobus teſtibus de metu deponentibus, quam mille teſtantibus ſpontaneam voluntatem. Et ratio eſt, quia qui deponunt de metu, id, quod aſſerunt, potuerunt ſenſu corporeo percipere: qui autem teſtantur ſpontaneam voluntatem, cum res ſit in animo recondita, non potuerunt ſenſu percipere. Idem docuit *Abbas, cap.* 1. *de his quę vi, num.* 10. *Berojus, deciſ.* 100. *num.* 11. *Sigiſm. inter conſilia feud. conſ.* 17. *num.* 14. *& Guttier. conſ.* 14. *num.* 9. *& conſ.* 16. *num.* 14. *Gamma* 1. *p. deciſ. dec.* 250. *nu.* 4. ubi bene limitat, quando illi duo teſte ſunt omni exceptione majores: & innumeri alii DD. quos referunt DD. ſtatim citandi. 1

Hoc tamen primo intelligendum eſt, niſi pro deponentibus de ſpontanea voluntate adeſſent præſumptiones, & conjecturæ. Sic *Decius cap. fin. de appel. num.* 25. & 26. & *reg. In omnibus* 39. *num.* 8. & 9. *ff. de reg. jur.* Et exemplificat, ut ſi actus fieret in præſentia judicis, quo caſu non præſumitur metus: juxta doctrinam *Barth. & Doctorum, l. Tranſactionem, C. de tranſact.* Idem *Jaſon, l. Interpoſitas, num.* 5. *C. de tranſact.* Et exemplificat, ſi actus fiat coram conſanguineis. Idem *Padilla ibi, num.* 33. Et addit exiſtenti tali præſumptione de libera voluntate, judicem arbitraturum, quibus textibus major fides adhibenda ſit. Idem *Navizan. conſ.* 96. *n.* 28. *Flam. de reſign. benefic l.* 13. *q.* 1. *nu.* 89. *Maſcar. de probat. concl.* 1057. *n.* 8. & 9. cum aliis, quos refert *Burſat. conſ.* 72. *num.* 48. *vol.* 1. 2

2. Intellige, quando teſtificatio aſſerentium ſpontaneam voluntatem, ſeu non interveniſſe metum, eſt ſimpliciter negativa, ſecus ſi eſſet negativa, coarctata loco & tempore: tunc enim non præfertur probatio ſpontaneæ voluntatis probationi metus, ſed æque creditur affirmantibus ſicut negantibus. Sic *Decius dict. cap. fin. num.* 28. *Sigiſmundus inter conſilia feudalia, conſ.* 48. *nu.* 18. unde data paritate terminorum æque credendum eſt deponentibus de metu, ac de libera voluntate: nam in utroque caſu teſtes de re interna teſtantur, & ſicut metus per media externa probatur; ut per minas, ita libertas: ut ſi ſit præſens judex, vel conſanguinei, &c. Ita *Decius eo. c. fin. de appell. num.* 28. & *regul. In omnibus, n.* 9. & 10. *ff de regul. jur.* Quare optime *Cov.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 3. §. 5. *n.* 10. & *Ant. Cucus l.* 5. *inſtit. maior. t.* 12. *n.* 167. 168. docent arbitrarium eſſe judici penſatis circumſtantiis, quibus magis credendum ſit. 3

LIBER

LIBER QUINTUS.
DE
CONSENSU CONDITIONATO.

Diviſio totius Libri.

UT ultima imponatur manus tractatui de conſenſu ad matrimonium requiſito: ſolum ſupereſt de conſenſu conditionato diſputare, de quo hoc toto l. 5. ſermo habendus eſt. Et 1. quidem agam de conditionibus generalibus, quæ in omni contractu intelliguntur: & de neceſſariis, ac intrinſecis matrimonio. 2. de extrinſecis neceſſariis. 3. de impoſſibilibus. 4. de honeſtis. 5. de turpibus contra matrimonii ſubſtantiam, ejuſque bona. 6. de turpibus non adverſis matrimonii ſubſtantiæ, & bonis. 7. de indifferentibus, ac impertinentibus. Ultimo, quando aliquid adjicitur matrimonio, tamquam dies, modus, cauſa, demonſtratio.

DISPUTATIO I.

Utrum matrimonium poſſit contrahi ſub conditione generali, & ſub ſpeciali intrinſeca, illudque ſuſpendat? Ut, ſi vixerimus, ſi tu conſenſeris, ſi non ex conſanguinea, ſi Deo, vel Eccleſiæ placuerit?

SUMMARIUM.

Utilitas hujus diſputationis declaratur, n. 1. *Et ibi, conditiones, quæ admittuntur in matrimonio, vel ab eo rejiciuntur, ſimiliter admittuntur in ſponſalibus, & ab eis rejiciuntur.*

Quotupliciter poſſit aliquid matrimonio adjici, 2.

Quot ſunt genera conditionum, quæ apponi poſſunt in matrimonio, 3.

In foro conſcientiæ ubi conſtat de intentione apponentis conditionem illi ſtandum eſt: in dubio autem hujus intentionis ſtatur præſumptioni fori externi, & quando eſt præſumptio juris, transfertur onus probandi in adverſarium, 4.

Matrimonium conditionem non recipit, bene tamen ejus conſenſus, 5.

Et ibi, explicatur regula, Actus legitimi, de reg. jur. in 6.

Admittit matrimonium conditiones generales, quæ tacite inſunt omni contractui, nec illud ſuſpendunt: ut ſi vixerimus, ſi tu conſenſeris, 6.

Explicatur leg. Si ita legatum, §. *Illi ſi volet, ff. de leg.* 1. *num.* 7.

An hæc conditio, Contraho tecum, ſi Deo, & Eccleſiæ placuerit, reddat matr. conditionale: referuntur variæ ſententiæ, n. 8. 9. & 10. *Et ſententia authoris, n.* 11. & 12.

Conditiones intrinſecæ, quæ neceſſarie inſunt matrimonio, non reddunt illud conditionale, 13.

Explicatur Clem. unic. de conſanguinit. an incurrat excommunicationem illius contrahens cum conſanguinea, ſub hac conditione, Si non es conſanguinea, 14.

1 POSSET aliquis exiſtimare impertinentem eſſe tractatum hunc de conditionibus adjectis matrim. cum enim poſt Concil. Trid debeat contrahi coram parocho, & teſtibus: in præſentia illorum nunquam adjicientur conditiones: Verum dico utiliſſimum eſſe, tum ut natura matrimonii intelligatur, tum etiam, quia eędem conditiones, quæ admittuntur, & rejiciuntur in matrimonio, admittuntur ſimiliter & rejiciuntur in ſponſalibus. Et ita *D. Th. d.* 37. *q.* 2. *art.* 1. *corp.* eamdem doctrinam tradit de conditionibus appoſitis in ſponſalibus, quam poſt *d.* 29. *q. un. art.* 3. *quæſtiunc.* 3. tradit de conditionibus appoſitis in matrimonio. Et eodem modo *Ricar.* 4. *d.* 27. *art.* 3. *q.* 2. *D. Bonav.* 4. *d.* 28. *q.* 3. *n.* 13. *Turrecr. c. Ubi non eſt*, 30. *q.* 2. *art.* 3. *n.* 4. *Sylv. v. Sponſalia, q.* 5. *Angel. n.* 18. *Roſella fin. D. Ant.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 18. §. 2. *Tabien v. Sponſalia, q.* 2. *n.* 3. *Philiarc. de offic. ſacerd. tom* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 1. §. *Tres conditionum*. Item quia ſi poſt Trident. celebraretur aliquod matrimonium coram parocho, & teſtibus, ſub aliqua conditione, judicandum eſſet de eo, ſicut ante Trident. ut bene ait *Bart. a Ledeſ. dub.* 25. *de matr. fin. & Petr. de Ledeſ. de matr. q.* 47. *art.* 5. *fin.* cum præter ſolemnitatem parochi, & teſtium adhibendam, nil aliud immutarit Tridentinum.

2 1. Ergo ſupponendum eſt, matr. aliquid poſſe adjici quintupliciter, 1. tamquam tempus, & diem, qua matr. contrahi debet: ut Contraham tecum cras. 2. ut modum, qui eſt quaſi adjectio oneris, ad quod volumus obligare contrahentem. Et communiter explicatur per conjunctionem, Ut, v. g. Duco te, ut divitias, aut honorem conſequar. 3. per modum cauſæ: quod evenit, quando denotatur cauſa, ob quam contrahitur. Et communiter explicatur per dictionem, *Quia*, ut contraho tecum, quia dives, aut pulchra es. 4. Per modum demonſtrationis: quod contingit, quoties ſignificatur aliqua qualitas in contrahentibus, & explicatur per relativum, aut dictionem importantem aliquam qualitatem. Ut Duco te, quæ libera es, aut virgo. 5. per modum conditionis, cum ſcilicet, aliquid adjicitur ſuſpendens contractum, ſub cujus exiſtentia, & non alias volumus contractum celebrari. Nam de natura conditionis eſt, ſuſpendere, & facere ut actus poſſit ſe habere ad eſſe, & ad non eſſe, *l.* 1. *tit.* 4. & *leg. Si ita ſtipulatus fuero hanc ſummam, ff. de verb. oblig.*

2. Supponendum eſt, conditiones quaſdam eſſe generales: quæ ita appellantur, quia tacite cuilibet contractui inſunt, quamvis non exprimantur, ut ſi vixerimus: aliæ ſunt ſpeciales: & rurſus quædam harum, ſunt intrinſecæ, quæ, ſcilicet, matrimonio ex neceſſitate inſunt, quia ſine eis matr. conſtare nequit: ut ſi non es conſanguinea, ſi non es monialis, contraho tecum: aliæ autem ſunt extrinſecæ: & rurſus harum, quædam ſunt neceſſario eventuræ, ut Contraho tecum, ſi ſol orietur. Aliæ omnino impoſſibiles, ut ſi cœlum digito tetigeris. Aliæ contingentes, & poſſibiles: & rurſus harum, aliæ ſunt honeſtæ, aliæ turpes, aliæ indifferentes, ſeu omnino impertinentes. Et tandem, ex turpibus quædam ſunt contra ſubſtantiam, & bona matrimonii: ut Contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel Donec pulchriorem inveniam: aliæ ſunt turpes, non contra ſubſtantiam, & bona matrimonii: ut Contraho tecum, ſi mecum concubueris. 3

3. Supponendum eſt, ſi de interno conſcientiæ foro agatur, ſtandum eſſe intentioni contrahentis ſub conditione, qualiſcumque conditio ſit: hoc eſt, quamvis Eccleſia judicet matr. quando conditio eſt neceſſaria, turpis, aut impoſſibilis: præſumit enim minime defuiſſe conſenſum hujuſmodi conditionibus adjectis, ceterum in foro conſcientiæ ſi contrahens noluit iniri matr. niſi eveniente conditione, non erit matr. ante illius eventum: & ſi nunquam evenire poſſit, quia impoſſibilis eſt, nunquam erit matr. Quia matr. abſque conſenſu nullatenus eſſe poteſt. Ita fatentur univerſi DD. ut *Hoſt. c. fin. in fin. de condit. appoſ Jo: And. c. Per tuas, eod. tit. num.* 7. ubi *Ant. n.* 8. *Anch. n.* 7. *Alex. de Nevo n.* 10. *Sylv. Matrim.* 3. *q.* 2. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 2. *n.* 4. Et ex Theologis, *Adrian.* 4. *q.* 3. *de matr. dub.* 7. *Palud.* 4. *d.* 29. *q.* 2. *fin.* ubi *Sotus q.* 1. *ar.* 3. *ad* 2. Quando autem oppoſitum non conſtat, ſed dubius eſt animus apponentis conditionem, ſtandum eſt præſumptioni fori externi, & rejecta conditione judicandum erit matrimonium, quando Eccleſia ſic judicat. Quia quod judex non innitens falſæ præſumptioni, judicat in foro externo, eſt ſervandum in interno, quando in eo oppoſitum non conſtat (ut dixi lib. 1. diſp. 5. nu. 20.) Item quia in dubio in utroque foro judicandum eſt pro matr. (ut probavi eodem l. 1. d. 18. n. 5. & 6.) Hoc eſt contra *Enriquez lib.* 11. *de matr. cap.* 12. *nu.* 5. & *in fine*, ubi ait in hoc dubio ſolum in foro externo judicari in favorem matr. Sed hoc reprobavi eadem d. 18. n. 6. Quando autem eſt præſumptio juris, transfertur onus probandi in adverſarium, *leg Generaliter*, §. *Si petitum, in fine, ff. de fideicom. libert. & l. ult. in princ ff. de his quæ vi*. Et docet cum multis, *Menoch. de præſumpt. l.* 1. *q.* 33. *n.* 2. *Simancas de cathol. inſtit. t.* 50. *n.* 6. 4

His præmiſſis, ſit I. concluſio: matr. ipſum conditionem non recipit, bene tamen ejus conſenſus; hoc eſt, conſenſus præſtitus ad matr. poteſt ex conditione pendere, at matr. ipſum minime. Quia quamdiu conditio pendet, matr. non eſt. Et hinc deducitur intellect. ad *reg. Act. legitimi*, 77. *ff. de reg. jur. & reg. Act. legitimi*, 50 *eod. tit. in* 6. decidentem actus legitimos non recipere conditionem, neque diem: ſunt enim a legibus inſtituti, ut ſtatim ſuum effectum conſequantur: & proinde conditio ſuſpendens adverſatur ipſorum ſubſtantię. Sic *Sotus* 4. *d.* 29. *q* 2. *art.* 1. *ante.* 2 *concl. verſ. Rurſus animadvertendum, Cov.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. *init. n.* 4. 5

II. Concl. matr. admittit conditiones generales, quæ in omni contractu intelliguntur, taciteque inſunt. Ut ſi vixerimus, ſi tu quoque conſenſeris. Quia hæ conditiones non magis ſuſpendunt contractum, quam ſi non exprimantur, *leg. Condit. extrinſ. & l. Aliquando ff. de cond. & dem. l. Per hæc verba teſtat. ff. de l.* 1. Sive enim exprimantur, ſive taceantur, prior conſenſus eſt inefficax, donec alter vita fruens conjux acceptet verbis, aut nutibus conſenſum proferat. Concluſio eſt certa, & ab omnibus admittitur. 6

Obſtat tamen huic concluſioni fortiter *l. Si ita legatum*, 48. §. 7

Illi ſi volet ff. de legat. 1. ubi legatum relictum alicui, ſi volet, eſt legatum conditionale, cum tamen ea ſit conditio generalis, & tacite intellecta. Sed dic cum communi *DD. ibi, & Abb. c. Significaſti, n.6. de elect. Præp. c. Ad audientiam, de ſponſ. ad fin. Cov. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 2. n. 4.* conditiones, quæ tacite inſunt, tunc nihil operari, quando exprimuntur eo modo, quo inſunt: ſecus ſi aliter exprimantur. At ea conditio, Si volet, non exprimitur eo pacto, quo tacite inerat, eſt enim ſenſus, ſi legatarius declaraverit ſe velle: quare ea conditio ſuſpendit legatum, nec legatarius ante voluntatis propriæ declarationem, legatum comparat, & ſi prius quam declaret, obeat, minime tranſmittit ad hæredem: ut dicitur *eo. §. Illi ſi volet.* Quia tamen conditione minime expreſſa, ſtatim acquireret legatarius quamvis ignorans, & ad hæredes tranſmitteret, *leg. Cum pater, §. Surdo, ff. de legat. 2.*

8 Non modica tamen difficultas eſt, an hæc conditio, Si Deus voluerit, ſi Deo placuerit, ſit generalis, ita ut non ſuſpendat, nec reddat contractum conditionalem? Nam *gl. c. un. ſi. de ſponſ. in 6.* quam ibi ſequitur *Jo: Monac. n. 3. Hoſt. c. Ad audientiam, de ſponſ. in fin. Abbas c. Signif. de elect. fin. Angel. matr. 3. imped. 3. n. 1.* ait eſſe ſponſalia conditionalia, contracta ſub hac conditione, Si Deo, & Eccleſiæ placuerit, atque ita reperto impedimento ob quod ea ſponſalia ſunt nulla, non oriri publicæ honeſtatis juſtitiam: eo quod non pure contracta ſint; juxta *d. c. 1. de ſponſ. in 6.* Idem *Cov. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 2.*

9 Alii vero cenſent non eſſe conditionalia. Quia hæc conditio, Si Deo placuerit, tacite ineſt. Ut docet *gl. per illum text. c. Beatus, v. Divina, 21. q. 2.* Sic *Anch. c. un. de ſponſ. in 6. ad fin. Alex. de Nevo c. Ad audient. & de ſponſ. n. 15. & ibi Præpoſ. ad fin. Henric. c. fin. n. 1. & 2. de condit. appoſ. Roſella matr. 5. n. 1. Tab. matr. 2. q. 11. n. 12. Brunel. de ſponſ. concl. 33. n. 1. Alex. Carrer. lib. 4. de ſponſ. cap. 6. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 11. n. 48.* Et ex Theologis, *Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. verſ. Ante ſecundam vero, D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. §. 5. verſ. Primo enim quædam ſunt, Petr. de Soto lect. 3. de matr. §. Quarto denique infertur, Viguerius l. inſtit. c. 16. §. 7. v. 6. ad fin. Barth. a Ledeſ. dub. 25. de matr. paulo poſt princ. Enriq. lib. 11. de matr. c. 12. n. 2.*

10 Alii vero cenſent, quando ſubeſt impedimentum, eſſe conditionalia, ſecus quando impedimentum non ſubeſt. Sic *Jo: And. d. c. un. fine, & ibi Domin. ad fin. Francus ad fin.*

11 Ceterum diſtinguendum eſt, ſi contrahentes ſub hac conditione, Si Deus voluerit, aut Deo placuerit, intelligant de voluntate beneplaciti, qua Deus omnia, quæ fiunt, aut vult, aut permittit; tunc eſt conditio generalis, & in omni contractu intelligitur, quare non ſuſpendit conſenſum: ſi vero intelligant de voluntate divina approbante, quaſi ſentiant, Si hic contractus Deo non diſpliceat, ſed ſit juxta ejus beneplacitum: tunc non eſt conditio generalis, & ita ſuſpendet. Quia multa fiunt contra Dei beneplacitum, unde ſuſpendet conſenſum, donec conſtiterit placere Deo. Unde *gloſſa & DD.* dum dicunt eſſe ſponſalia conditionalia contracta ſub ea conditione, Si Deo placuerit, intelliguntur, quando contrahentes intelligunt de voluntate poſteriori: alii autem dicentes non eſſe conditionalia, loquuntur, quando intelligunt de voluntate priori. Sic *Adrian. 4. materia de matr. q. 3. dub. 4. Sylv. matr. 3. q. 3.* & addit in dubio intelligi de poſteriori voluntate, quia id eſt animæ tutius.

12 Hinc infero eam conditionem, de qua *gl. & alii DD. relati n. 8.* meminere, ſcilicet, Si Eccleſiæ placuerit, eſſe vere conditionem, & ſubſiſtente impedimento ſuſpendere conſenſum. Quia ſemper intelligitur de voluntate approbativa: cum in Eccleſia non reperiatur illa duplex voluntas, quæ in Deo: unde ſuſpendit conſenſum, donec conſtet, Eccleſiam approbare facta indagine. Sic *Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 10. n. 49.*

13 III. Concluſio, conditiones intrinſecæ, quæ neceſſario inſunt matr. & abſque quibus matr. conſiſtere non poteſt, non reddunt matr. conditionale. Ut, Si non fueris conſanguinea, vel affinis, &c. Prob. quia tacite, & intrinſece includuntur in ipſo contractu, & in ipſa eſſentia imbibitæ ſunt, cum iis ſecluſis contractus corruat: & ita docent omnes. Sed fortiter urget contra hoc: nam (ut dixi n. 12.) ſunt conditionalia ſponſalia, Si Eccleſiæ placuerit, & reperto impedimento minime oritur publicæ honeſtatis juſtitia; ergo ſimiliter ſi addatur conditio; Si non es conſanguinea, &c. quia perinde eſt, Si Eccleſia approbaverit, ac ſi non interceſſerit impedimentum. Sed reſp. eamdem eſſe conditionem, ſed diverſimode adjicit: nam dum abſolute dicitur, Si non es conſanguinea, Si non ſubeſt impedimentum, adjicitur conditio, eo prorſus modo, quo inerat. Verum quando dicitur, Si Eccleſia approbaverit, alio modo apponitur: intelligitur enim ſi ſolerti indagine præmiſſa, repertum fuerit, Eccleſiam hujuſmodi matr. approbare: ſicut ſupra diximus, l. 3. d. 33. n. 4. hanc conditionem, Si es idoneus, confero tibi beneficium, tacite ineſſe, ac proinde non ſuſpendere collationem: ſecus autem ſi addatur, Si inventus fueris idoneus.

14 Quamvis tamen hæc conditio, Si non es conſanguinea, non reddat matr. conditionale, operabitur tamen, ut ſcienter contrahens cum conſanguinea, ſub ea conditione, minime incurrat excommunicationem, *Clem. un. de conſang.* Quia ea non punit effectum, cum is ſequi nequeat: non enim poteſt eſſe validum matr. inter conſanguineos: ſed punit affectum contrahentium, quem minime oſtendunt conſanguinei ineuntes matr. ſub ea conditione, Si conſanguinei non ſint.

D I S P U T A T I O II.

An conditio extrinſeca neceſſario eventura, adjecta matrim. reddat illud conditionale, ſuſpendatque conſenſum? ut Contraho tecum, ſi cras ſol orietur.

S U M M A R I U M.

Refertur ſent. aſſerens ſuſpendere, n. 1. Et contraria verior. 2. Si contrahentes credebant eſſe contingentem, ſuſpendet, n. 3. Idem, quando conditio in ſe neceſſaria, eſt reſpectu noſtri incerta, n. 4. Et ibi, explicatur §. Conditiones, inſtit. de verb. obligat.

Quid, ſi conditio neceſſaria habet diem incertum? ut ſi Titius morietur, 5.

Quid, ſi conditio neceſſaria non apponatur tamquam conditio, ſed tamquam temporis præfinitio: & quando id contingat? n. 6. Et ibi, quid de hac conditione, Contraham tecum, ſi pater meus morietur.

Quid, ſi conditio ſecundum ordinem naturæ non ſit neceſſaria, ſed ex ſuppoſitione? ut Si Antichriſtus naſcetur, 7.

Solvitur arg. & explicatur leg. Hæres meus, in princ. ff. de condit. & demonſtr. 8.

1 ALiqui cenſent hujuſmodi conditionem ſuſpendere conſenſum, ac proinde non eſſe matr. donec conditio impleatur. Prob. quia quamvis ſtipulatio ſub conditione omnino extitura, non ſit conditionalis, at non eſt perfecta, uſque ad adventum diei, *l. Hæres meus, 78. in princ. ff. de cond. & demon.* ibi, *hæres meus cum morietur Titius, centum ei dato: purum legatum eſt. Quia non conditione, ſed mora ſuſpenditur, non poteſt enim conditio non exiſtere.* Ita docent *gl. c. Per tuas, de cond. appoſ. v. Præſumendum,* ubi *Jo: And. n. 7. Ant. fin. Anch. fin. Specul. tit. de condit. appoſ. in princ. n. 8. Angel. Matr. 3. imped. 3. init.* Et rem hanc eſſe dubiam fatetur *Roſella Matr. 5. n. 1. fine.*

2 Sit concluſio, matr. initum ſub neceſſaria conditione, eſt abſolutum & validum, nec conditio illa ſuſpendit, ſed perinde eſt, ac ſi oppoſita non eſſet. Prob. ex *l. Si pupillus 9. §. Qui ſub condit. ff. de novat.* ibi *qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, pure videtur ſtipulari, & l. Impoſſibilis 7. ff. de verb. oblig.* ibi, *ſi talis conditio inſeratur ſtipulationi, Si in cœlum non aſcendero hæc utilis, & præſens eſt.* Idem habetur, *§. Si impoſſibilis, inſt. de inutil. ſtip.* Et ratio eſt, quia cum jam conditio illa futura, ſit præſens, & determinata in ſua cauſa naturali, ita ut impoſſibile ſit oppoſitum eſſe, cenſetur jam impleta. Sic docent ex Theologis, *D. Th. 4. d. 28. q. un. art. 3. q. 3. D. Bonav. 4. d. 28. q. 3. n. 13. Duran. d. 28. q. 2. n. 5. Palud. 4. d. 29. q. 2. a. 5. concl. 8. n. 30. Adrian. 4. mater. de matr. q. 3. dub. 16. Victor. ſum. mater. de matr. n. 260. Sotus 4. d. 29. q. 2. art. 1. poſt 2. concl. verſ. Hinc colligitur, Viguer. lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 6. ad fin. Petr. de Soto lect. 3. de matr. §. Quarto denique infertur, D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. §. 5. verſ. Tertio, eſt aliqua condit. Tab. matr. 2. q. 11. n. 11. Angl. floribus, p. materia de matr. q. 2. de conſenſu condit. art. un. init. concl. 2. Bart. a Led. dub. 25. de matr. concl. 1. Lud. Lop. 2. p. inſtr. novi mater. de matr. c. 43. ad fin. Pet. de Led. de matr. q. 47. ar. 5. dub. 2. f. 228. concl. 3. Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 4.* Et ex Juriſperitis, eam tenent *Hoſt. ſum. tit. de condit. appoſ. n. 12. ad fin. verſ. Quid ſi contraho ſub conditione quæ omnino extitura eſt: Card. c. Per tuas, eod. tit. fine, & ibi Abb. fine, Alex. de Nevo n. 15. Præpoſ. ibi, fin. Henric. c. fin. eod. tit. n. 2. Sylv. Matrim. 3. q. 1. & 2. Nav. ſum. c. 22. Hiſp. n. 66. Latin. 67. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 2. n. 10. Brunel. de ſponſ. concl. 32. n. 3. Alex. Carrer. lib. 4. de ſponſ. c. 6.*

3 Hæc tamen concluſio, 1. intelligenda eſt: quando contrahentes reputabant conditionem eſſe neceſſariam, ſi enim crederent eſſe contingentem, ſuſpenderet utique uſque in conditionis eventum. Quia in contrahentium intentione conditio contingens erat, ac proinde effectum conditionis contingentis ſortiri debet: cum matr. conditionale ex contrahentium conſenſu pendeat. Sic *Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 4. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 43. art. 5. dub. 2. concl. 3.*

4 Imo ſi conditio neceſſaria, ſit reſpectu noſtri incerta, ſuſpendit utique. Ut deſponſabo te, ſi luna eclipſetur tali die, non erunt ſtatim ſponſalia, ſed adveniente conditione. Nec obſtat *§. Conditiones, inſt. de verb. oblig.* ibi, *quando enim per rerum naturam certa ſint, non morantur obligationem, quamvis nobis incerta ſint.* Quia loquitur textus in conditione de præterito, vel præſenti. Sic *Palud. 4. d. 20. q. 2. a. 5. concl. 3. n. 31. ad fi.*

5 2. Eſt intelligenda concluſio, quando conditio neceſſaria habet diem certum: ut contraho tecum, ſi cras ſol oriatur: tunc enim conditio non ſuſpendit, ſed ſtatim eſt matr. ſecus ſi habet diem incertum: ut Contraho tecum, ſi Titius morietur, ſuſpenditur enim matr. uſque ad Titii mortem. Sic *Jaſ. l. Impoſſibilis, n. 8. ff. de verb. oblig.* Verum hic intellectus minime placet, ſed in utroque eventu conditio non ſuſpendit, ſed ſtatim eſt matrim. cum in utraque conditione eadem ratio procedat, utraque enim certa eſt, & in ſua cauſa eſt præſens. Sic *Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. poſt 2. concl. verſ. Hinc colligitur, Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 2. n. 11. Lud. Lop. 2. p. inſt. novi, materia de matr. c. 43. ad fin. Angl. flor. 1. p. mat. de matr. q. 2. de conſenſu cond. a. un. init.*

6 Monuerim tamen, ſæpe apponi prædictam conditionem, non tamquam conditionem, ſed tamquam temporis præfinitionem: & tunc non ſtatim eſſe matr. donec tempus præfinitum accedat. Ut ſi quis diceret, Contraham tecum, ſi, & quando, vel cum ſol cras orietur.

Sic *Sotus, Lud. Lop. & Angles proxime cit. Henric. c. fin. n. 2. de condit. appoſ. Adr. 4. materia de matr. qu. 3. dub. 16. §. Reſpondeo ad 1. Cov. eod. §. 2. prox. cit. n. 10. Enriq. l. 11. de matrim. c. 12. n. 4.* Unde infert *ibi Sotus,* quem ſequitur *Barth. a Ledeſm. dub. 25. de matrim. concl. 1. fin.* ſi quis dicat, Contraham tecum, ſi pater meus moriatur, videri eam conditionem non adjectam eſſe, tanquam conditionem, ſed tanquam temporis præfinitionem: & ſenſum eſſe, quando pater meus objerit: ſecus (inquit *Sotus*) ſi dicat, Si pater meus eſt moriturus. Quia tunc non ponitur ad deſignandum tempus, ſed tanquam conditio neceſſaria: quare cum conditio hæc neceſſaria, ſit jam in ſua cauſa præſens, minime ſuſpendit. Sed in his omnibus eventibus non tam verbis, quam contrahentium menti inhærendum eſt: quia ſi conſtare nequit, placet hæc conjectura Soti: dum enim homines adjiciunt hanc conditionem, Si pater meus morietur, non adjicitur tanquam neceſſariam, ſed volunt utique ſe obligare poſt patris obitum: quem tamen ſenſum nullatenus patitur ea verborum forma, Si pater meus eſt moriturus.

7 Intelligenda eſt concluſio, quando conditio eſt neceſſaria ſecundum ordinem naturæ, ſecus quando ſecundum naturam eſt contingens, ac per accidens ex ſuppoſitione eſt neceſſaria: ut Contraho tecum, ſi Antichriſtus naſcetur, aut condemnabitur, non ſtatim erit matrim. ſed ſponſalia conditionata, expectantia conditionis adventum, ut pure obligent. Et ratio eſt: quia talis conditio non poteſt dici præſens in ſuis cauſis, cum effectus non contineatur in cauſa proxima determinata. Sic *Adrian. 4. q. 3. de matr. dub. 16. ante §. Ad rationes, & toto dub. 17. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 11. Enriq. lib. 11. de matr. c. 12. n. 4.* Ceterum magis placet non ſuſpendere hujuſmodi conditionem, ſed ſtatim eſſe matrim. quia contrahentes tam neceſſariam eſſe, ſuppoſita Scriptura id teſtante, hanc conditionem, Si Antichriſtus naſcetur, credunt, ac ſolem cras oriturum: & ſic hæc eſt jam præſens in ſua cauſa proxima, ita illa in præſentia divina, nota contrahentibus, ex Scripturæ teſtimonio: ergo in neutro eventu videntur conſenſum ſuſpendere. Quare *gl. l. Si pupillus 9. §. Qui ſub conditione, verb. Qui ſub conditione, & l. Quod ſi ea conditione 18. ſtatim in princ. ff. de condict. indeb.* exemplificat de conditionibus neceſſariis, ut ſi Antichriſtus naſcetur. Sic tenent aliqui Theologi, quos refert ac ſequitur *Lud. Lop. 2. p. inſt. novi, materia de matr. c. 43. ad finem.*

8 Ad argum. n. 1. propoſitum, deſumptum ex *l. Hæres meus,* reſpondetur aliud eſſe, cum conditio exprimitur per, Si, & aliud quando exprimitur per, Cum, priori enim caſu eſt vere conditio, & ſi eſt neceſſaria, cum ſit præſens in ſua cauſa, cenſetur ſtatim impleta: poſteriori autem caſu non eſt conditio, ſed temporis præfinitio: & ita ſuſpendet legatum: & in hoc caſu loquitur *d. l. Hæres meus.*

D I S P U T A T I O III.

Utrum conditio impoſſibilis adjecta matrimonio, ut Contraho tecum, ſi digito cœlum tetigeris, ipſum vitiet: vel ea rejecta, legitimum & abſolutum ſit matrimonium?

S U M M A R I U M.

Proponitur c. finale, conditio appoſit. in cujus intellectu verſatur difficultas: proponunturque argumenta probantia non eſſe matrimonium, num. 1.

Traduntur 6. intellectus ad cap. fin. de condition. appoſ. & reprobantur, a num. 2. uſque ad 8.

An conditiones natura impoſſibiles rejiciantur a matrim. vel ſolum impoſſibiles de facto, 7.

Conditio impoſſibilis reputata poſſibilis a contrahentibus, non habetur pro non adjecta, 8.

An vitiet ſtatim matrimonium, vel ſuſpendat? 9.

Quid, ſi imprudenter exiſtimata eſt poſſibilis, 10.

Ut conditio impoſſibilis habeatur pro non adjecta, requiritur ſcientia c. fin. decernentis haberi pro non adjecta, n. 11. & in utroque conjuge, 12.

Explicatur reg. Ignorantia facti, non juris excuſat: de reg. jur. in 6. num. 13.

Moraliter loquendo numquam eveniet caſus, in quo etiam in foro externo judicetur validum matrimonium, contractum ſub conditione impoſſibili, 14.

Habetur pro non adjecta, quando dubia eſt contrahentis intentio, an joco, aut animo non aliter contrahendi appoſuerit, nu. 15. Et ſi ex aliis conjecturis conſtat joco appoſitam eſſe, non judicabitur matrim. nu. 16. Et quæ ſint illæ, 17.

Traditur verus intellectus ad d. c. finale, 18.

Explicatur, in quo conſiſtat favor matrimonii, eo quod ab illo rejiciatur conditio impoſſibilis, nu. 19. Et an deciſio d. c. finalis, habeat locum in foro conſcientiæ, 20.

Explicatur Clem. unica, de conſang. an incurrant illius excommunicationem, contrahentes matrim. cum conſanguinea, ſub conditione impoſſibili, vel turpi, 21.

Enodatur c. finale, de bigamis, an ſit irregularis ſacerdos ducens viduam, ſub conditione impoſſibili, vel turpi, 22.

An rejiciatur conditio impoſſibilis a ſponſalibus? remiſſive, num. 32. Et ſolvuntur argumenta, 24.

1 HÆc quæſtio graviſſima, ac difficillima eſt: & conſiſtit in intelligentia textus celeberrimi apud juris Pontificii auctores, *c. fin. de cond. appoſ.* ibi, *aliæ conditiones appoſitæ in matrim. ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debent propter favorem ejus, pro non adjectis haberi.* Ex quo textu conſtat, matr. contractum ſub conditione impoſſibili, eſſe ſtatim validum, rejecta ea conditione. Contra quod decretum, 1. arguitur. Eccleſia numquam præſumit aliquid ſine juſta cauſa, alias eſſet temeraria, & iniqua præſumptio: quod conſtat, quia idem eſt præſumptio juris, apud Juriſconſultos, quod apud Rhetores, probatio veriſimilis artificialis. Ut teſtatur *Menoch. l. 1. de præſum. q. 4. n. 1.* hæc autem definitur a *Quintiliano l. 5. inſt. orat. c. 9.* cum aliquibus poſitis, probabiliter, & veriſimiliter ſequitur quod intendimus: ſed quando conditio eſt impoſſibilis, nulla eſt conjectura conſenſus, ſed potius diſſenſus: ut conſtat ex communi loquendi uſu, dum enim petita negare volumus, dicere ſolemus, Dabo tibi, ſi cœlum digito tetigeris. Ergo nulla eſt ratio, ob quam Eccleſia præſumat conſenſum, ſed potius diſſenſum, & ſic nullum eſſe matr. 2. prob. ceteri contractus initi ſub conditione impoſſibili non valent, *l. Impoſſibilis 7. ff. de verb. oblig. & §. Si impoſſibilis, inſt. de inutil. ſtip. & l. Non ſolum 30. ff. de act. & obl. & l. 3. t. 4. p. 6.* Sed matrim. majorem libertatem conſenſus deſiderat, quam ceteri contractus: ut conſtat, cum ceteros metus non irritet, nec ab iis excludatur pœna: quod omnino diverſum eſt in matrim. juxta ſuperius dicta: ergo a fortiori non valebit matrim. adjecta ſimili conditione. Et confirmatur fortiſſime, ex ratione quæ redditur ex *l. Non ſolum,* cur omnes contractus ſub conditione impoſſibili geſti, minime valeant, ibi, *quia in ea re quæ ex duorum, pluriumve conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur quorum proculdubio in hujuſmodi actu, talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment, appoſita ea conditione quam ſciant eſſe impoſſibilem.* Ergo ſi adjectio, conditionis impoſſibilis eſt indubitatum diſſenſus ſignum, vitiabit matrim. in quo maxime conſenſus duorum requiritur. Ex 2. confirmatur, quia in ceteris contractibus poteſt jus ſupplere conſenſum, vel in favorem alterius contrahentis, qui conditionem impoſſibilem non adjecit, vel in adjicientis pœnam: cum ergo non ſuppleat, ſed defectu conſenſus declaret eos invalidos, a fortiori ſic debet in matrim. ſententiam ferre: cum in eo conſenſus defectum ſupplere minime poſſit. 3. principaliter probatur, quia quando conditio eſt facto ipſo, & non a natura impoſſibilis, ut ſi montem aureum mihi dederis, jus præſumit diſſenſum. Ut teſtatur *gl. §. Impoſſibilis, verb. Impoſſibilis, inſt. de hæred. inſtit.* Et conſtat ex *l. Cum hæres 4. §. 1. ff. de ſtatu liberis,* ibi, *aut ſi tam difficilem, aut pene impoſſibilem conditionem adjecit, &c. nec animus dandæ libertatis eſt,* ubi *gl. verb. Dandæ,* ait *quod præſumitur ex eo, quod tam longum tempus, aut conditionem impoſſibilem adjecit.* Si ergo difficultas, & impoſſibilitas non abſoluta, ſed ſecundum quid, index eſt & præſumptio ſufficiens diſſenſus: a fortiori id erit tribuendum impoſſibilitati abſolutæ. 4. prob. quia vel Eccleſiæ conſtitutio efficit, ut matr. ſub conditione impoſſibili celebratum, legitimum ſit, & hoc non: quia id, quod matr. non eſt, Eccleſia efficere nequit matr. eſſe, cum ſolo contrahentium conſenſu perficiatur: aut ſolum declarat illud eſſe verum matr. & hoc non, quia alias ante illud decretum, eſſet etiam legitimum: quod abſurdum videtur. Et confirmatur, ante id decretum non erat matrim. ergo nec modo. Quia Eccleſia nequit facere de non matrim. matrimonium. 5. prob. quia dum rejiciuntur dictæ conditiones impoſſibiles, aut id fit favore matrim. aut ob dictarum conditionum qualitatem: ſed neutrum poteſt dici, alias rejiciendæ eſſent, quamvis aliunde conſtaret de contraria contrahentium voluntate. Et confirm. quia *textus d. c. finalis,* profitetur favore matrim. rejici conditiones impoſſibiles: at non apparet, in quo favor hic verſetur, cum potius matrimonii favor ſit, ut ſit valde ſpontaneum: id enim vinculo perpetuo, & fini matrimon. valde expediens eſt. Et 2. confirmatur, quia matrimonii favor poſtulat, ut conſervetur, ubi legitime contractum eſt: at ut introducatur matrim. ubi conſenſus deeſſe videtur, potius odium, quam matrim. favorem reſpicit, *cap. Tua nos, de ſponſ.* Ultimo prob. quia cum ad matrim. non ſufficiat conſenſus internus, niſi ſigno externo conſenſus expreſſivo manifeſtetur, quamvis contrahentes ſub conditione impoſſibili, interius abſolute conſentirent, non videtur matrim. legitimum eſſe, quia illa conditio impoſſibilis potius exprimit, ac denotat diſſenſum, quam aſſenſum. Hæc ſunt, quæ vehementiſſime urgent contra deciſionem *dicti cap. finalis,* & ex quibus valde dubia redditur ea deciſio, adeo ut ſubtiliſſimus *Durand. 3. d. 39. q. 4. n. 9.* fateatur ſe minime percipere, unde Eccleſia in eo matrimon. præſumat conſenſum: & ideo hoc doctioribus judicandum relinquit. Alii vero diverſos intellectus excogitarunt, quos referemus, & poſtmodum, qui magis placet, manifeſtabimus.

2 Primus ergo intellectus *d. cap. finalis* eſt, in foro conſcientiæ non eſſe legitimum matrimon. ſi conſenſus defuerit in apponente conditionem impoſſibilem, ſed teneri vere contrahere, ob præceptum impoſitum *d. cap. fin.* Sic *Palud. 4. d. 29. q. 2. art. 5. concl. 5. n. 34.* Sed jure optimo hunc intellectum impugnant *Adrian. 4. materia de matrim. quæſt. 3. dub. 7. Metina C. de reſtitut. quæſt. 23. §. Verum adhuc remanent tria dubia, verſ. Si dicant: Sotus 4. d. 29. qu. 2. art. 2. paulo poſt princ. verſ. Quæſtio eſt profecto, Covar. 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 9. Ledeſm. 2. part. 4. quæſt. 45. art. 1. fol. 441. col. 1. init. Alex. Carrerius lib. 4. de ſponſal. cap. 6.* habetur *tom. 9. tractatuum, Lud. Lop. 2. p. inſtructorii novi, materia de matrim. cap. 43. fol. 1092. Petr. de Ledeſm. de matrim. quæſt. 47. art. 5. dub. 1.* Quia nullum

ibi contrahendi præceptum imponit Pontifex, ſed ſupponit matrimonium eſſe legitime contractum; ut conſtat ex tenore textus, ubi ait conditiones contra ſubſtantiam matrimonii illud vitiare, quantumcumque favorabile ſit, at impoſſibiles, & turpes haberi pro non adjectis: at iis non adjectis eſſet matrim. legitimum, & purum, ergo Eccleſia non imponit contrahendi præceptum, ſed definit, rejecta impoſſibili conditione, eſſe validum.

3 II. Intellectus eſt, ut *id c. fin.* non intelligatur, quando contrahentes norunt conditionem eſſe impoſſibilem, tunc enim maniſeſte videntur diſſentire, & refutare matrimonium: unde non habenda eſt pro non adjecta: quare intelligi debet, dum contrahentes reputabant eſſe poſſibilem. Sic *Adrian. 4. materia de matrim. q. 3. dub. 7.* Verum hic intellectus merito rejicitur. Quia (ut ſtatim n. 8. dicemus, & probabimus) nullo pacto locum habere poteſt id decretum, quando contrahentes credebant eam conditionem eſſe poſſibilem. Quia tunc ſuſpendet contractum, ad modum conditionum contingentium. Item, quia eodem tenore dicitur ibi, rejici conditionem turpem, ac impoſſibilem, ſed turpis cognita turpis habetur pro non adjecta: ergo etiam conditio impoſſibilis, cognita impoſſibilis.

4 III. Intellectus eſt, matrim. adjecta conditione impoſſibili vitiari: & ita nec haberi pro non adjecta. Unde pro intellectu *d. cap. fin.* ſupponendum eſt longe diverſum eſſe contractum ſub conditione celebrare, vel eumdem ſub conditione reſolvere *lib. 2. ff. de in diem adject.* contrahitur enim ſub conditione, quando diſpoſitio non habet effectum uſque ad futurum conditionis eventum: reſolvitur autem, quando a principio habet effectum diſpoſitio, ſed in conditionis eventum reſolvenda eſt. Unde in priori parte *d. c. fin.* non agit Pontifex de conditione ſuſpendente matrim. ſed de reſolvente, quæ jam matrim. ſemel contractum, & perfectum, in eventum conditionis reſolvit. Ut conſtat ex exemplis ibi adductis, ſi te adulterandam proſtituas, & donec inveniam aliam pulchriorem, &c. impleri enim non poſſunt, niſi matrim. jam perfecto: non enim alias erit adulterium, nec ſoboles: quare de eiſdem conditionibus reſolutivis, & non ſuſpenſivis intelligit Pontifex, in 2. *p.* dum agit de conditionibus impoſſibilibus: ut conſtat ex iis verbis, *licet aliæ conditiones, ſint turpes, aut impoſſibiles:* dictio enim: *alius,* ſimile refert. Item, quia exceptio debet eſſe de regula, *l. Nam, quod liquide, §. finali, ff. de penu legato:* unde ſenſus textus eſt, quando conditio impoſſibilis eſt reſolutiva, quæ impleri debet matrim. jam contracto, habetur pro non adjecta, & manet matrim. legitimum, & pure contractum. Ut Contraho tecum, ſi cœlum aſcendas. Quod ſi roges, in quo favor hic matrimonii conſiſtat, ob quem Pontifex definit conditiones has haberi pro non adjectis? Dico ceteros contractus ſub conditione impoſſibili, ſive ſuſpenſiva, ſive reſolutiva celebratos, regulariter vitiari. Ut eleganter *Sarmiento l. 2. ſelect. c. 3. n. 13. & 14.* At matrimonium non vitiatur. Quia ubi ſemel contractum eſt, & valere incipit ob conſenſum de præſenti, poſtmodum diſſolvi non poteſt. Hunc intellectum docuit Salmanticæ quidam vir doctiſſimus, dum publice jus canon. explicaret. Verum quamvis hic intellectus acutus ſatis ſit: diſplicet tamen, 1. quia eſt contra univerſum DD. torrentem, qui illum textum de conditione impoſſibili ſuſpendente, intelligunt, 2. quia nullo modo conſtat, Pontificem in priori parte textus, dum definit conditiones contrarias ſubſtantiæ matrimonii illud vitiare, intelligere de ſolis reſolutivis, quamvis enim exempla ſint de conditionibus reſolutivis, at non arctant regulam: quæ indiſtincte de conditionibus contrariis matrim. traditur. 3. quia alias conditiones contra ſubſtantiam matrimonii, quando ſuſpenſivæ ſunt, non vitiarent matrim. ut Contraho tecum, ſi prius venena ſterilitatis ſumpſeris; quod tamen minus verum eſt: ut conſtabit ex dicendis hoc 5. l. diſp. 9. 4. Quia conditio impoſſibilis reſolutiva, quæ, ſcilicet, ſupponit matrim. contractum, non habetur pro non adjecta, ſed vitiat matrim. eo quod eſt contra ejus ſubſtantiam, & individuitatem: apponitur enim conditio, qua eveniente matrim. legitime contractum, eſt diſſolvendum; atque ita opponitur conſenſui requiſito ad matrimon. ergo falſa eſſet deciſio *d. c. fin.* dum definit conditiones impoſſibiles haberi pro non adjectis. 5. quia cum dicit Pontifex, *aliæ conditiones, &c.* ea particula, *aliæ conditiones,* non refertur ad exempla ibi tradita, ſed ad regulam, conditiones contra ſubſtantiam matrim. illud vitiant: & ſimilitudo quam importat dictio, *alius,* in hoc conſiſtit, quod utræque conditiones ſcilicet contra ſubſtantiam, & impoſſibiles, conditiones ſunt: ut ſi diceremus, animal, aliud homo, aliud equus, propriiſſime loqueremur: ſatis enim eſt ad proprietatem ſermonis ſervari ſimilitudinem genericam in animali, quod eſt membrum diviſum: neque eſt ibi aliqua exceptio, ſed diviſit Pontifex conditiones, in impoſſibiles, turpes, & eas, quæ ſubſtantiæ matrimonii adverſantur: & quid de ſingulis dicendum ſit, ſtatuit. 6. quia ſi Pontifex nil ſtatueret de conditionibus impoſſibilibus ſuſpendentibus, diminutus eſſet: cum de hujuſmodi conditionibus in toto eo titulo non agat. Ultimo, quia nihil ſtatueret Pontifex in matrimonii favorem: eſſe enim individuum, non eſt favor a Pontificibus matrimonio conceſſus, ſed ipſamet natura matrimonii: ut conſtat ex ejus definitione: at Pontifex, *d. c. fin.* ſtatutum illud favori matrim. tribuit.

5 IV. Intellectus eſt, non fuiſſe Pontificis mentem, dum dixit impoſſibilem conditionem habendam pro non adjecta, quod eo ipſo judicetur matrim. ſub tali conditione contractum, validum eſſe: ſed ejus ſenſum eſſe: impoſſibilis conditio habetur pro non adjecta, ideſt, non magis nocet contractui matrim. quam ſi non fuiſſet appoſita: hoc enim ſonat ea particula, *habeatur pro non adjecta.* Unde dumtaxat voluit, quando per alias conjecturas præſumitur adfuiſſe conſenſum, reputandum eſſe matrim. Sic *Sotus 4. diſt. 29. q. 2. a. 2. verſ. Mens ergo Pontificis, & verſ. Et in ſumma nos nihil aliud: & in ſolut. ad primum, Bart. a Ledeſm. dub. 25. de matr. concl. 7. Petr. de Ledeſm. de matrim. q. 47. a. 5. dub. 1. & idem Sotus in fine art. in ſolut. ad 2. ac Ledeſm 2. p. 4. q. 45. a. 1. f. 441. col. 1.* dicunt in foro externo ſi non eſſet alia conjectura ad præſumendum conſenſum, illam conditionem potius eſſe indicium diſſenſus, & animi decipiendi: quare ſecluſa illa conditione, ac ſi adjecta non eſſet, aliunde quærendam eſſe præſumptionem conſenſus, & tali præſumptione conſenſus ſtante rejici conditionem impoſſibilem aut turpem, quaſi appoſita non eſſet, & judicari matrim. ante eventum conditionis. Quia cum altera ſit impoſſibilis, impleri non poteſt: & cum altera ſit turpis, minime obligat. Sed hic intellectus in quantum aſſerit mentem Pontificis fuiſſe, nudare contractum ea conditione impoſſibili, perinde ac ſi adjecta non eſſet, judicandum eſſe de ſponſalibus, aut matrim. ita ut ex vi conditionis nec præſumatur conſenſus, nec diſſenſus: veriſſimus eſt, & a nemine negari poteſt: id enim importat ea particula, *habeatur pro non adjecta,* hoc eſt, nihil prorſus de ea conditione curetur, ſed judicetur ac ſi prorſus appoſita non eſſet. Verum inquantum, addit, adjectionem illius conditionis eſſe indicium diſſenſus, & neceſſarias eſſe alias conjecturas ad præſumendum conſenſum, omnino a veritate alienus eſt. Quod manifeſte prob. 1. quia Pontifex expreſſe dicit matrim. contractum ſub conditione impoſſibili, judicandum eſſe, ac ſi conditio non eſſet adjecta: ſed ea non adjecta judicaretur manifeſte matrim. quia eſt conſenſus legitimus de præſenti: ergo ad judicandum illud eſſe matrim. non opus eſt aliis conjecturis conſenſus, ſed ſatis eſt ut non ſint aliæ conjecturæ diſſenſus. 2. probatur ex *c. 1. de condit. appoſ.* ibi, *quicumque ſub conditionis nomine aliquam deſponſaverit, & eam relinquere voluerit, dicimus quod frangatur conditio, & deſponſatio irrefragabiliter teneatur.* Qui textus licet intelligatur ibi a *gloſſ. verb. Frangatur,* & a communi ſent. de conditione turpi, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrim. at eadem eſt ratio de impoſſibili, & de turpi conditione quoad hoc: cum *d. c. fin.* eodem tenore utramque pro non adjecta, habendam eſſe, decernatur. Si ergo rejecta conditione matrim. irrefragabiliter judicandum eſt validum, male aſſeruit *Sotus,* potius eſſe conditionem illam indicium diſſenſus, quam conſenſus: & aliis indigere Eccleſiam conjecturis, ut conſenſum præſumat. Tandem, quia ſibi ipſi, & textui contradicit *Sotus:* ex alia enim parte dicit conditionem impoſſibilem habendam eſſe pro non adjecta, & judicandum de matr. ac ſi adjecta non eſſet: quod idem docet textus: & ex altera parte ait, ex adjectione illius conditionis præſumi diſſenſum, & ut judicetur validum matrimon. alias conſenſus conjecturas quærendas eſſe: in quo manifeſte ſibi, & textui contradicit: nam ea conditione impoſſibili non appoſita, manifeſte præſumeretur conſenſus, & validum matrimon. abſque aliqua alia conſenſus conjectura: ergo ſi adjectio conditionis obligat ad quærendum alias conſenſus conjecturas, & efficit conjecturam diſſenſus, non habetur pro non adjecta, ſed multum operatur. Præterea, quia eſto intellectus hic undequaque eſſet verus, adhuc non exhaurit difficultatem. Quia minime reddit rationem, cur potius a matrim. quam ab aliis contractibus conditio impoſſibilis tanquam non adjecta rejiciatur.

V. Intellectus eſt, cum matrimonium ſit res appetibilis, propenſionique naturæ conforme, quamvis adjiciatur conditio impoſſibilis, præſumit Eccleſia joco appoſitam eſſe, & ſic validum eſſe matrim. Sic *Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi, materia de matr. c. 43. fol. 1091.* ubi alium etiam intellectum aſſignat: nam ſecundum *Ariſt.* voluntas non eſt impoſſibilium: ergo qui novit conditionem impoſſibilem, non vult ut alter illam impleat. Sed uterque intellectus minime ſatisfacit. Non primus, quia quamvis matrim appetibile ſit, tamen cum hac, vel cum illa contrahere, non ſemper eſt appetibile. Diſplicet etiam ſecundus intellectus; quia quamvis voluntas non feratur ad impoſſibile, & ſic manifeſtum ſit, nolle eam conditionem impleri: at eadem difficultas adhuc extat, videtur enim adjectionem conditionis, quam contrahens impleri non poſſe novit, indicium eſſe diſſenſus, atque ita matrimonium eſſe nullum. 6

VI. Intellectus eſt, ut deciſio *d. c. fin.* non intelligatur de conditionibus a natura impoſſibilibus, ut ſi cœlum digito tetigeris: 7 eæ enim vitiant matrimon. quia cum non apponantur ut adimplendæ, irriſorius eſt contractus judicandus: non enim creditur dignum eſſe, velle aliquem ſerio matrim. contrahere, qui conditionem a natura impoſſibilem, & ſciens implendam non eſſe, adjecit: ſed intelligitur de conditione in ſe poſſibili, & ſic adjecta ut adimplenda, quia natura poſſibilis erat: at eſt penſata contrahentium qualitate impoſſibilis, ut ſi femina pauperi aliquis paupertatis conſcius dicat, Contraho tecum ſi des in regnum aut 10000. aureos. Hæ enim conditiones, quæ obſervandæ proponuntur, repelli debent a matrim. & pro non adjectis haberi: cum enim qui conditionem poſuit, ſciat alteri eſſe impoſſibilem, cenſetur pure contraxiſſe. Item, quia eodem tenore deciditur *d. c. fin.* conditionem turpem, & impoſſibilem habendum pro non adjecta: ſed turpis eſt talis, ut poſſit ab altera parte acceptari, & impleri: ergo impoſſibilis debet eſſe etiam

etiam talis, ut naturaliter acceptari, & impleri poſſit. Sic docent viri doctiſſimi, ut teſtatur *Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 9.* Idem *Ledeſm. 2. p. 4. q. 45. art. 1. f. 441. col. 2.* Nec abhorret *Sotus 4. d. 29. q. 2. art. 2. verſ. Profecto res ſic in cortice aſpecta,* ubi ait, Pontificem non ſubjeciſſe exemplum de illa conditione impoſſibili, Si cœlum digito attigeris, aut de aliis hujus generis: ſed DD. ex legibus juris civilis, ea exempla adhibere. Nam *Covar.* omnino hunc intellectum reprobat: ait enim eſſe diligentiſſimum, & interiorem ſenſum illius *c. fin.* exacte perpendere, & diſputationis gratia aliqua dicit ſe objicere contra illum. Additque *Ledeſm. ibid.* quando conditiones ſunt natura poſſibiles, Eccleſiam revera non præſumere conſenſum eſſe abſolutum, ſed conditionatum, ut ſonat, efficere tamen ut valeat matrimonium cum eo conſenſu imperfecto, & conditionato, rejecta conditione: ſicut jus civile favore matrim. rejecit conditionem matrim. impedientem, a legato: ut ſi non nupſeris, lego tibi centum: & facit rejecta conditione, valere legatum. Sed hic ſenſus diſplicet mihi. 1. quia communiter DD. intelligunt *d. cap. fin. de conditionibus natura impoſſib.* Ita *gl. verb. Contra ſubſtantiam, & ibi Henric n. 4. & 6. & Lex 6. t. 4. p. 4. & ibi Greg. Lop. verb. Monte de oro, Adrian. 4. qu. 3. de matrim. dub. 7. Roſella matrim. 5. n. 1. Silv. matrim. 3. q. 1. Angel. matrim. 3. impedimento 3. n. 12. Tab. matrim. 2. qu. 11. n. 12. Palud. 4. d. 29. q. 2. a. 5. concl. 5. n. 34. Sotus ibi, q. 2. a. 2. verſ. Ad propoſitum ergo. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. §. 5. paulo poſt princ. Brunell. de ſponſ. concl. 33. nu. 5.* habetur *tom. 9. tract. Metina C. de reſt. qu. 23. verſ. Unde merito Durandus, Viguerius lib. inſt. c. 19. §. 7. verſ. 6 ad finem, Victoria ſum. materia de matr. n. 259. Petrus de Soto lect. 3. de matrim. §. Quarto denique infertur: Nav. ſum. Lat. & Hiſp. c. 22. n. 62. Angles floribus 1. p. materia de matr. q. 2. de conſenſu cond. a. unico, diffic. 4. Barth. a Ledeſ. dub. 25. de matr. concl. 7. Vivald. Candelab. 1. p. materia de matr. n. 53. Philiarc. de offic. ſacerd. to. 1. p. 2. l. 2. c. 1. §. Tres conditionum, Palac. l. 6. de contract c. 6. concl. 1. & l. 5. c. ult. dub. 7. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi, materia de matr. qu 47. a. 5. dub 1.* Idemque aſſerunt DD. quos hoc 5. l. diſp. 7. n. 17. referam aſſerentes conditionem hanc, Si pater tuus conſenſerit, contraho tecum, haberi pro non adjecta, quando contrahens ſciebat objiſſe patrem, eo quod conditio eſt impoſſibilis: cum tamen ſit impoſſibile per naturam, ut mortuus conſentiat. Imo de impoſſibilibus non per naturam, ſed ſecundum quid, & de facto, de quibus hic intellectus ait intelligi *d. c. fin.* non modica difficultas eſt, an habendæ ſint pro non adjectis, vel potius vitient matrimon. ut conſtabit diſp. ſeq. n. 12. & ſeq. Secundo probatur, quia adjiciens conditionem natura impoſſibilem, ut ſi cœlum tetigeris, vel etiam facto ipſo impoſſibilem, ut ſi dicat pauperi, Si regnum, aut 100000. aureos in dotem dederis, in utroque caſu videtur eodem pacto diſſentire. Ut probat *l. Cum hæres, 4. §. 1. ff. de ſtatu lib.* ibi, *non eſt ſtatu liber, cui libertas in tam longum tempus collata eſt, ut eo tempore is, qui manumiſſus eſt, vivere non poſſit, aut ſi tam difficilem, imo pene impoſſibilem conditionem adjecerit, ut aliunde libertas ei obtingere non poſſit: veluti ſi hæredi mille dediſſet:* ergo utraque pariter conditio rejicienda eſt, vel ſi illa vitiat matrim. quia eſt indicium diſſenſus: cum hæc pariter diſſenſum indicet, vitiabit. Tertio, quia conditio impoſſibilis de facto, non appellatur in jure impoſſibilis, ſed difficilis, *l. Continuus, 137. §. Illud, ff. de verb. oblig.* ergo dum *c. fin.* deciditur, conditiones impoſſibiles rejiciendas eſſe, intelligitur præcipue de conditionibus vere impoſſibilibus, quales ſunt natura impoſſibiles. Quarto, quia jus canonicum in hac deciſione voluit favere matrim. ſicut jus civile ultimæ voluntati, a qua excludit conditiones impoſſibiles: ut teſtatur *gl. d. c. fin. v. Impoſſibiles, & ibi Jo: Andr. n. 7. Card. n. 2. Alex. de Nevo, n. 6. Acoſta l. 1. Selectarum, c. 8. n. 11.* at a legatis rejiciuntur etiam conditiones natura impoſſibiles: imo aliæ impoſſibiles de facto, non rejiciuntur: ut teſtatur *Covar.* cum aliis *decret. 2. p. c. 3. §. 2. n 9.* ergo ſimiliter conditiones natura impoſſibiles rejiciuntur a matrim. & habentur tanquam non adjectæ. Quinto, quia indefinita juris tradens regulam, æquipollet univerſali (ut dixi l. 3. diſp. 44. n. 2.) ergo dum Pontifex *d. c. fin.* ſtatuens regulam de conditionibus impoſſibilibus, dixit indefinite, tanquam non adjectas, habendas eſſe: intelligit de omnibus conditionibus impoſſibilibus: & male trahitur illa deciſio ad ſolas conditiones de facto impoſſibiles, quæ cum vere impoſſibiles dici non poſſint, non modica eſt difficultas (ut dicemus diſp. ſeq.) an ſub ea deciſione comprehendantur. Tandem, contra id quod addit *Ledeſma* in eo intellectu, quando conditiones ſunt impoſſibiles de facto, non præſumere Eccleſiam conſenſum abſolutum, ſed efficere matrim. cum eo conſenſu imperfecto, ut contingit in legatis: ſic inſurgo: nam longe diverſa eſt ratio: jus enim humanum poteſt ſupplere conſenſum in legatis, ac teſtatore invito ob favorem publicum aliquarum cauſarum, poteſt efficere ut legatum valeat; quod ſecus eſt in matrim. in quo nihil circa conſenſum ſupplere poteſt: ut ſupra dixi, l. 2. diſp. 27. n. 2.

8 His ergo intellectibus rejectis: ut intelligentiam, quam veriorem reputo, proponam, oportet ſupponere aliquot fundamenta. I. fundamentum eſt, conditio impoſſibilis reputata poſſibilis, non rejicitur a contractu matrim. vel ſponſalium, ſed ſuum ſortitur effectum in utroque foro: unde *d. c. fin.* intelligitur, quando ſciebant, contrahentes conditionem eſſe impoſſibilem. Probatur, quia in teſtamentis, ubi conditio ſimilis rejicitur, actus teſtandi ſub conditione impoſſibili, quam teſtator poſſibilem exiſtimabat, eſt nullus, *l. Servo manumiſſo, ff. de cond. indeb.* & docet ibi *gloſſ. verb. Ex teſtamento, Bart. l. 1. n. 5. ff. eod. tit. Joan. de Imola l. 3. n. 11. ff. de condit. inſtit. & Cov. ſtatim citandus;* ergo ſimiliter in matrimonio. 2. quia licet conditio ſit impoſſibilis in ſe, ſi tamen a contrahentibus reputetur poſſibilis, & contingens, eamdem vim habet in eorum animis, & apprehenſione, ac ſi vere eſſet poſſibilis, & contingens: ſed ſi eſſet poſſibilis, non rejiceretur: ergo nec rejicitur, dum poſſibilis exiſtimatur. 3. quia eodem modo loquitur Pontifex *d. c. fin.* de conditione turpi, & impoſſibili, ſed turpis reputata honeſta non rejicitur (ut dicemus hoc l. 5. diſp. 15. n. 7.) ergo nec impoſſibilis reputata poſſibili. 4. quia (ut ſtatim dicemus) matrim. contractum ſub conditione impoſſibili, reputatur nullum etiam in foro Eccleſiæ, quando conſtat ex aliquibus conjecturis conſenſum conjugalem defeciſſe, ita ut contrahentes nullatenus velint conſentire, niſi impleta conditione: ſed potiſſima conjectura eſt, ſi illic credebant conditionem eſſe poſſibilem; ergo in hoc eventu non rejicietur conditio, ſed vitiabit matrim. Ita docent. *Adrian. 4. qu. 3. de matr. dub. 11. fin. Sotus 4. d 29. q. 2. a. 2. verſ. Per hæc judicandum, Covar. 4. decr. 2 p. c. 3. §. 2. n. 5. Medina q. 23. de reſtit. §. Verum adhuc remanent tria dubia: Petr. de Soto lect. 3. de matr. §. Quarto denique infertur, Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi, materia de matr. c. 43. fol. 1093. Petr. de Ledeſm. de matr. qu. 47 art. 5. dub. 1. concl. 3. Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 5. in comm. lit. C.* quamvis ſibi contradicat *eo n. 5.* aſſerens hanc conditionem impoſſibilem reputatam poſſibilem haberi pro non adjecta, & de ea intelligi *d. c. fin* ſed verius eſt, quod dicit in commento, nempe non haberi pro non adjecta, nec de ea intelligi *d. c. fin.* Item tenet *Bart. a Ledeſ. dub. 25. de matrim. concl 8.* Hoc tamen fundamentum eſt contra *Adrian. 4. q. 3. de matrim. dub. 7.* ubi ait *d c. fin.* intelligi tantum, quando contrahentes, conditionem reputabant eſſe poſſibilem, & *Greg. Lop. l. 6. fine, tit. 4. p. 4.* aliquantulum trepidat dicens, tunc tantum conditionem impoſſibilem reputatam poſſibilem vitiare matrimonium, quando ex tali credulitate manifeſte apparet non aliter voluiſſe contrahentes, matrimonio conſentire, niſi eveniente tali conditione: & ſic manifeſte apparet de diſſenſu. Sed dico id non opus eſſe, ſed eo ipſo, quod contrahentes exiſtimant eam conditionem eſſe poſſibilem, eſt manifeſtum ſignum diſſenſus, & talis conditio non habetur pro non adjecta. Pro eadem ſent. ſunt DD. quos infra hoc l. 5. diſp. 7. num. 17. referam, aſſerentes ſi aliqui contrahant ſub conditione, Si pater conſenſerit, exiſtimantes eum vivere, cum tamen mortuus eſſet: non rejici talem conditionem impoſſibilem, ſed ſtatim vitiari matrimonium: eo quod cum contrahentes exiſtimarent patrem vivere, reputabant conditionem eſſe poſſibilem.

Hinc infertur, minus bene *Sotum, Lud. Lop. & Enriq. in illo comment. litt. C. n. præc. citatos,* aſſerere hujuſmodi conditionem impoſſibilem reputatam poſſibilem, ſuſpendere contractum uſque ad conditionis eventum: ſicut ſi vere poſſibilis, & contingens eſſet: dicendum enim eſt cum reliquis DD. in hoc fundamento citatis, minime ſuſpendere, ſed ſtatim annullare matrim. Nam repugnat, ut conditio natura ſua impoſſibilis, ponatur in eſſe, ergo ex tunc contrahentes manent liberi ab obligatione: cum eventum impoſſibilem nullus expectare teneatur. 9

Nec placet moderatio *Soti, & Lud. Lop. f. 1094 quos retuli* 10 *n. 9.* ubi aſſerunt hoc intelligendum eſſe, quando prudenter contrahentes exiſtimabant conditionem eſſe poſſibilem, ſecus, quando abſque omni prudentia id crederent: quibus aſſentiri videtur *Greg. Lop. ibi cit.* aſſerens quando ex aliquibus cauſis exiſtimarent eſſe poſſibilem, hoc procedere. Ceterum hoc verum eſt quoad præſumptionem in foro externo, non enim præſumet Eccleſia contrahentes reputaſſe conditionem eſſe poſſibilem, quando id abſque omni prudentia eſſet. Ceterum in foro conſcientiæ, quantumvis imprudenter reputent conditionem poſſibilem, vitiabitur matrim. quia deficit conſenſus: cum enim crederent poſſe evenire conditionem, non videntur conſentire niſi in illius eventum: ut contingit in aliis conditionibus vere poſſibilibus. Et ita ſimili docet *Adrian. 4. qu. 3. de matr. dub. 11. fine,* ubi ait, licet conditionem eſſe jure impoſſibilem ſit clarum, nec liceat ignorare: adhuc non rejici, quando ignoratur, niſi quoad præſumptionem in foro externo, & nec quoad hoc nocebit, ſi poſſit ignorantia probari.

II Fundamentum eſt, ut conditio impoſſibilis habeatur pro 11 non adjecta, ultra cognitionem impoſſibilitatis conditionis, exigitur etiam, ut contrahentes conſcii ſint conſtitutionis *d. c. fin.* ſtatuentis eam conditionem haberi pro non adjecta, & cenſeri purum matrim. Prob. quia conditio impoſſibilis, ex natura ſua, & attento frequenti loquendi modo, importat diſſenſum: ut manifeſte probant argum n. 1. propoſita: & favore matrim. diſpoſuit Pontifex *d. c. fin.* ut in hoc contractu habeatur pro non adjecta, & cenſeatur purus contractus: ergo ut contrahentes matrim. ſub ea, cenſeantur etiam in foro externo habere pro non adjecta, & pure contraxiſſe, neceſſarium eſt, ut hujus conſtitutionis conſcii ſint: conſtitutio enim minime obligat ignorantes, *c. 2. de conſtit.* Sic *Metina C. de reſtit. qu. 23. duplici col. ante fin. §. Ad cognoſcendum autem Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 2. n. 1. Alex. Carrer. l. 3. de ſponſal. c. 5.* habetur *tom. 9. tract. Palacios l. 6. de contractibus, c. 6. concl. 1. & 2.*

Imo non ſufficiet, ſi alter ex contrahentibus norit condi- 12 tionem eſſe impoſſibilem, & jus ſtatuens haberi pro non adjecta:

ctæ: ſed oportet, ut utrumque notum ſit ambobus contrahentibus. Quia cum matrim. conſtet ex utriuſque conſenſus, & conditio impoſſibilis ex ſe diſſenſum explicet, ſi alter contrahens ignoret jus ſtatuens haberi pro non adjecta, ex parte illius non erit conſenſus, ſed diſſenſus: & ita non poterit conſtare matrim. Similiter ſi alter ex illis reputet, conditionem eſſe poſſibilem, cum natura conditionis poſſibilis ea ſit, ut ſuſpendat conſenſum in conditionis eventum, ex parte hujus, conſenſus non erit perfectus, & aptus matrim. contrahendo: ergo ut reputetur matrim. neceſſarium eſt, ut uterque contrahens norit conditionem eſſe impoſſibilem, & jus ſtatuens eam conditionem haberi pro non adjecta. Quare caute *Cov. Metina*, *num. præced. citati*, dixerunt requiri ſcientiam hujus conſtitutionis in contrahentibus, ad ſignificandum in utroque requiri: & *Adrian. 4. qu. 3. de matrim. dub.* 11. *ad finem*, expreſſe ſat eſſe, ſi uterque vel alter ignoret.

13 Sed objicies: cum ignorantia facti, non juris excuſet: *reg. ignorantia*, 13. *de reg. jur. in 6.* & ignorantia hujus conſtitutionis ſit ignorantia juris, ea non obſtante cenſebuntur contrahentes ſub conditione impoſſibili ſibi cognita, pure contrahere: quod videtur ſignificare *Gregor. Lop. l. 6. t. 4. p. 4. verb. Monte de oro*, *ad fin.* aſſerens, cum hoc jus notorium ſit, contrahentes videri conſentire pure, cum ſcire debeant a jure rejici tales conditiones. Sed quicquid ſit in foro externo, manifeſtum eſt in foro conſcientiæ utramque ignorantiam, quamvis craſſiſſima ſit, excuſare in hoc caſu (ut dixi n. 10. de eo, qui craſſiſſime, & imprudentiſſime reputavit conditionem, quæ natura impoſſibilis erat, eſſe poſſibilem.) Quia quævis ignorantia conſenſum tollit, qui neceſſarius eſt ad matrimonium, quamvis a culpa minime excuſet, niſi juſta, & probabilis ſit. Ut ſi craſſiſſime erraret contrahens in perſona, putans eſſe aliam: ſic ignorantia quantumvis craſſa tollet conſenſum abſolutum. Imo & in foro externo excuſabit ignorantia juris clari, ſi probari poſſit: ut de ignorantia impoſſibilitatis de jure conditionis, docet *Adrian. 4. q. 3. de matr. dub.* 11. *ad fin.* Imo, & ignorantia hujus juris excuſat in foro externo. Quia ignorantia juris non excuſat, quando eſt jus clarum, & omnibus notum. Ut teſtatur *Dynus ea reg. Ignorantia*, *n. 4.* & cum aliis *Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 1. n. 9.* ſecus quando jus eſt obſcurum, & in quo ipſi DD. varias profeſſi ſunt opiniones, quale eſt *d. c. fin.* cujus vera intelligentia, & doctiſſimos latet, & tam varia eſt, ut vidimus.

14 Hinc infertur, moraliter loquendo numquam eventurum caſum, in quo judicandum ſit etiam in foro externo matrim. contractum ſub conditione impoſſibili. Quia numquam hoc jus notum erit ſaltem feminæ contrahenti. Et (ut probavimus n. 12.) requiritur utrique cognitum eſſe.

15 III. Fundamentum ſit: conditio impoſſibilis habetur pro non adjecta, quando dubia eſt contrahentium intentio, an animo conſentiendi, vel potius irridendi, eam conditionem appoſuerint: tunc enim favore matrimon. præfertur pars illius conſervatrix, & præſumit Eccleſia ea verba accipi in ſenſu abſoluto, perinde ac ſi conditio appoſita non eſſet: ita ut conditio nil penitus operetur: in dubio enim pro matrim. judicandum eſt, *c. fin. de ſentent. & re jud.* cum enim vetatur periculum animæ, ſi forte ſeparentur, qui legitime ſunt conjuncti, & aliis conjungantur matrim. eligit Eccleſia in dubio quod animæ tutius eſt: ſatius enim eſt contra ſtatuta hominum dimittere legitime conjugatos, quam contra legem Dei eos ſeparare. Ut habetur *cap. Licet ex quadam*, *de teſtib.* ita *Metin. C. de reſt. qu.* 23. *§. Reſpondeo ſalvo meliori judicio. Carbon, q. de reſt. ante 1. concluſ. Palacios l. 6. de contractib. c. 6. ad fin. in ſolut. ad 4. & in 4. concl. Spino ſpec. teſt. gloſſ. 4. princip. n.* 138. *DD. nu. ſeq. referendi.*

16 Hinc infertur, ſi ex aliis conjecturis conſtet, conditionem impoſſibilem joco appoſitam eſſe, ac abſque animo contrahendi, tunc etiam in foro externo non habendam pro non appoſita, ſed vitiare matrim. Quia jam intentio contrahentium non eſt dubia. Sic *Adria. 4. q. 3. de matrim. dub. 7. Sotus 4. d. 29. q. 2. a. 2. verſ. ad propoſitum*, *ergo Steph. Cajet. in ſacram. Neapolit. q. 46. de matrim. concl. 8. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 5. Enriq. l. 11. de matrim. c. 12. n. 5. & in fin. Barth. a Ledeſ. dub. 25. de matr. concl. 7. Palacios l. 6. de contract. c. 6. concl. 4. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi*, *materia de matrim. c. 43. f.* 1093. Imo credo in hoc eventu adjectionem conditionis impoſſibilis coadjuvare præſumptionem diſſenſus in foro externo. Quia tantum habetur pro non adjecta, ubi dubia fuerit mens contrahentis: ut diximus num. præced.

17 I. Autem conjectura erit, quando ſic contrahens expreſſit, nolle ſe aliter conſentire, niſi ea conditione eveniente. Quia jam clare expreſſit ſuam intentionem. Ita *Stephan. Cajet. Adria. dub. 6. Cov. Lud. Lop. citati n. præced.* Secunda conjectura erit, ſi magna ſit diſparitas inter contrahentes. Quia hæc ſatis indicat diſſenſum, & facit præſumere joco contractum eſſe matrim. (ut l. 3. diſp. 15. nu. 7. diximus) Sic *Lud. Lop. ibi*.

18 His ergo ſuppoſitis, verus intellectus *d. c. fin.* eſt, Omnes fideles dum Sacramenta recipiunt, cenſentur ea recipere juxta Eccleſiæ intentionem, & dum contractus ineunt matrim. & norunt conditionem eſſe impoſſibilem, eamque rejici ab Eccleſia, & pro non adjecta haberi, ſed præſumere conſenſum eſſe purum, & abſolutum: videntur velle pure contrahere, juxta intentionem Eccleſiæ, & ut ipſa Eccleſia præſumit, & judicat tale matrim. niſi aliter explicent ſuam intentionem. Sic *Palud. 4. d. 29. q. 2. in fin. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 1. Greg. Lop. l. 6. t. 4. p. 4. verb. Monte de oro*, *ad fin. Metina C. de reſtit. q. 23. duplici col. ante fin. §. Ad cognoſcendum autem. Palacios l. 6. de contract. c. 6. concl. 1. & 2. Alex. Carrerius l. 3. de ſponſ. c. 5.*

19 Sed rogabis, in quo conſiſtat favor hic matrim. ob quem *d. c. fin.* ait Pontifex rejici ab eo conditiones impoſſibiles? Dico in hoc conſiſtere: potuit jus in ceteris contractibus diſponere, ut conditio impoſſibilis haberetur pro non adjecta, & ſi id diſponeret, valeret contractus initus ſub tali conditione, a ſcientibus talem conditionem eſſe impoſſibilem, & rejici a jure: propter rationem proxime dictam: cum autem id non ſtatuerit, ceteri contractus corruunt, ſi ſub conditione impoſſibilis celebrentur, matrim. autem eo quod contractus favorabilis eſt, hoc ſpeciale habet, ut ab eo ex ſtatuto Eccleſiæ impoſſibilis conditio rejiciatur: ac proinde matrim. ea adjecta contractum, quod alias naturæ impoſſibilis conditionis relictum, irritum eſſet, manet firmum, ac validum. Ratio autem quæ induxit Eccleſiam ad hunc favorem, explicata eſt nu. 15.

20 Ex his infertur, deciſionem *d. c. fin.* non ſolum locum habere in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, dum contrahentes incerti ſunt, an dubii, an appoſitam habuerint intentionem. Sicut de Baptiſmo, & ceteris Sacramentis, dum ea recipiens non eſt certus de contraria intentione, judicandum eſt in utroque foro, juxta intentionem Eccleſiæ recepiſſe, ac proinde valida eſſe: ſic de matr. judicium ferendum eſt in utroque foro. Præterea, quia in eo dubio Eccleſia judicaret in foro externo eſſe matrim. ergo idem judicandum eſt in foro interno: nam ubi non proceditur ex falſa præſumptione, ſed veritas cognita eſt, idem dicendum eſt in utroque foro (ut probavi l. 1. diſp. 5. n. 20.) Sed contra hunc intellectum eſt objectio. Jus canonicum non fundatur ad rejiciendas de matrim. hujuſmodi conditiones impoſſibiles, eo quod contrahentes ſciant rejici, ſed hoc potius ſubſequitur hanc conſtitutionem, quam ſit ratio ad ſtatuendum ipſum. Ob hanc rationem rejicit hunc intellectum *Petr. a Ledeſ. de matr. qu. 47. art. 5. dub.* 1. Sed nullius eſt momenti objectio: libenter enim fateor, ſcientiam hujus conſtitutionis non eſſe rationem, cui innititur Eccleſia ad rejiciendas has conditiones: ſed ratio fuit, favor matrim. ut Pontifex *d. c. fin.* teſtatur. Verum ſcientia ejus conſtitutionis exigitur, ut in ea diſpoſitum locum habeat: nulla enim conſtitutio ignorantes ligat: *cap. 2. de conſt.*

21 II. Infertur intellectus ad *Clem. unic. de conſang. & affin.* ubi excommunicantur conſanguinei contrahentes matrimon. incurrent enim prædictam excommunicationem, ſi contrahant adjecta conditione impoſſibili. Ut ſi duo conſanguinei ſic inter ſe contrahant, Accipio te in uxorem, & virum, ſi cœlum digito tetigeris. Quia cum ea conditio habeatur pro non adjecta, perinde eſt, ac ſi pure, & abſolute contraherent. Id tamen intelligendum eſt, quando ſecundum juris diſpoſitionem vellent contrahere, ſi enim mens eorum eſſet ſolum in eventum ejus conditionis, & non alias contrahere, non incurrerent eam excommunic. Quia Clementina illa punit voluntatem contrahendi de facto, ubi jus reſiſtit, ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis: at ſi in eventum conditionis, quam ſciunt impoſſibilem, & non alias vellent contrahere, non eſt verum ipſos habere voluntatem contrahendi de facto: ergo non incurrent excommunicationem. Sic *Adrian. 4. de matr. q. 3. dub. 10. ad fin. & dub. 11. in ſolut. ad 2. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 2. nu. 8. Petr. de matr. q. 47 art. 5. triplici col. ante fin. §. In hujus rei expoſitionem*, *& ſeq.* Similiter ab eadem excomm. excuſabuntur, ſi jus habens has conditiones pro non adjectis, ignorent. Quia eo caſu non eſt hoc matrim. ut probavi nu. 11. Sic *Adrian. ibi*. Idem dicendum eſt, ſi ſub conditione turpi contrahatur matr. Quod ſimiliter habetur pro non adjecta (ut dicemus late diſp. 15.) Sic *Petr. de Ledeſm. ibi*, *§. In hujus rei expoſit.* Et bene addit, *§. Dico tertio*, in caſu in quo animus eſſet non contrahendi uſque ad conditionis turpis eventum, ea eveniente, retenta opinione aſſerente purificari illud matrim. abſque novo conſenſu (quam referam diſp. 8. n. 5.) incurri excommunicationem: cum tunc de facto contrahatur matrim. abſolutum inter conſanguineos. Retenta autem contraria opinione, dicente non purificari matrim. poſt adventum conditionis, abſque novo conſenſu (quam eadem diſp. 8. nu. 3. referam) non incurri, donec adveniente conditione accedat novus conſenſus. Quia uſque tunc non eſt matrim. Quid autem dicendum ſit, ſi conditio ſit impoſſibilis de jure? Ut ſi conſanguinei contrahant ſub hac conditione, Contraho tecum, ſi licet inter conſanguineos, dicam diſp. ſeq. num. 10.

22 Tertio infertur, intellectus ad *c. fin. de bigamis*, ubi decernitur, ſacerdotem ducentem viduam, eſſe irregularem, propter affectum contrahendi opere ſubſecuto: infertur (inquam) ſimiliter eſſe irregularem, ſi ſub conditione impoſſibili, conſcius eam rejici, & conformiter conſtitutioni Eccleſiæ, id matrim. celebret: ſecus quando fuit ignarus, vel non conformiter illi conſtitutioni contraxit. Sic *Adrian. de matr. qu. 3. dub. 11. in ſolut. ad* 2. Et idem dicendum eſt de conditione turpi: prout explicuimus num. præced.

23 Utrum autem rejiciantur a ſponſalibus conditiones impoſſibiles, ſicut rejiciuntur a matrimonio? dicemus hoc 5. libr. diſp. 17.

24 Tandem ad argumenta n. 1. propoſita, reſp. Ad primum dic diſtinguendam eſſe minorem: nam conditio impoſſibilis relicta ſuæ naturæ diſſenſum potius indicat: at ſuppoſita Eccleſiæ eam rejicientis, & indicantis conſenſum eſſe purum, conſtitutione, & ejus notitia in contrahente, manifeſte indicat conſenſum. Nam ſtante ea ſcientia ubi aliter ſuum animum minime explicat, videtur juxta Eccleſiæ intentionem contrahere. Ad 2. nego conſeq. quia cetera non ſunt paria: cum enim jus non excludat eam conditionem a ceteris contractibus, ea indicat diſſenſum: tollitque ſpontaneam, ac liberam voluntatem: quod ſecus eſt in matrim. ut explicui in ſolut. præced. Ad 1. confirm. nego conſeq. quia ea conditio cum in ceteris contractibus non habeatur, ac non adjecta, ſed relinquatur ſuæ naturæ, index eſt diſſenſus: ſecus in matrim. ut dixi. Ad 2. confirm. nego conſeq. quia ceteri contractus non ita favorabiles ſunt ac matrimon. nec in matrimon. ſub conditione impoſſibili contracto, ſupplet conſenſum Eccleſia, ſed declarat eum conſenſum rejecta conditione purum eſſe. Ad 3. argum. concedo totum in ceteris contractibus: at ſecus in matrim. ubi adjectis iis conditionibus, præſumit Eccleſia purum conſenſum ob rationem dictam. Ad 4. dico Eccleſiæ conſtitutionem efficere, ut matrim. ſub ea conditione celebratum, ſit deinceps poſt eam conſtitutionem legitimum, quod ante eam invalidum eſſet. Et dum dicis, Eccleſiam non poſſe facere, ut id quod matrim. minime erat, modo ſit matrim. diſtinguo, ſi intelligas de matrimon. ante ſuam conſtitutionem contracto; id fateor: ſi autem intelligas de in poſterum contrahendo, id bene poteſt efficere, non ſupplendo conſenſum, ſed variando decreta. Ut dum Eccleſia, *c. Non debet*, *de conſang.* reſtrinxit gradus conſanguinitatis ad quartum, non effecit ut matrim. contractum, in quinto gradu ante eam conſtitutionem, quod invalidum fuit, validum eſſet: at fecit ut matrim. deinceps in 5. gradu contracta, quæ ſecluſa ea conſtitutione invalida eſſent, deinceps valerent, tollendo antiquam prohibitionem. Sic in noſtro caſu ante conſtitutionem *d. c. final.* matr. ſub conditione impoſſibili celebratum, nullum erat: quia ea conditio indicabat diſſenſum, & ita Eccleſia nequit efficere, ut id matrim. ſit validum: at ubi ſtatuit eam conditionem rejiciendam eſſe, cum variata ſit natura contractus, eo quod jam indicat conſenſum, efficit, ut deinceps matrim. ſub ea conditione celebrata ſint firma. Ad confirm. patet ex ſolutione præced. Ad 5. dico propter utramque rationem rejici: nec inde ſequi rejiciendas eſſe quamvis aliunde conſtaret de contraria voluntate: quia Eccleſia nequit conſenſum in matrim. ſupplere. Ad confirm. jam n. 19. explicui, in quo favor matrim præ ceteris contractibus, conſiſtat: nec hic favor adverſatur libertati, ac ſpontaneo conſenſui ad matrim. requiſito: ut explicui in ſolutione ad 2. Ad 2. confirm. dico odium eſſe, ut introducatur matrim. ubi conſenſus deeſt: at in dubio an ſit conſenſus, necne, favor eſt matrim. ut valeat, ſtatuendo non indicare diſſenſum, id quod ſecluſa ea conſtitutione eum indicaret. Ad ultimum, conſtat ex dictis: quia ſuppoſita conſtitutione *d. c. fin.* ejuſque notitia, eſt ſufficiens expreſſio conſenſus abſoluti: dum ſub conditione impoſſibili contrahitur.

DISPUTATIO IV.

An omnes conditiones impoſſibiles rejiciantur de matrimon. juxta c. fin. de condit. appoſ. vel tantum impoſſibiles per naturam: & hoc ſive apponantur de præſenti, aut præterito, ſive de futuro.

SUMMARIUM.

Quotuplex eſt conditio impoſſibilis? num. 1. *Et an rejiciatur quando eſt de præſenti, aut præterito? refertur opinio negans, num.* 2.

Contraria auctoris, num. 3. *Et ſolvuntur argum.* 4.

An rejiciatur conditio impoſſibilis per naturam? remiſſive nu. 5. *Et ibi, quid ſi partim eſt poſſibilis, partim vero impoſſibilis.*

Quid, ſi conditio ſit jure impoſſibilis: refertur opinio negans rejici, num. 6. *Et contraria*, 7.

Quid: ſi talis conditio referatur in tempus futurum? ut ſi aliquando licebit matrimonium inter conſanguineos, 8.

Quid, ſi dubium ſit, an conditio ſit natura, vel jure impoſſibilis, 9.

Explicatur Clem. unic. de conſang. an incurrat excommun. contrahens cum conſanguinea ſub conditione, ſi eſt licitum num. 10. *Et ſolvitur argum.* 11.

Quid, ſi conditio ſit de facto impoſſibilis; referuntur duæ ſententiæ, num. 12. *&* 13.

Et ſent. auctoris, num. 14. *Et ibi ſolvuntur argum.*

Quid, ſi conditio ſit per accidens, ex lapſu temporis impoſſibilis: ut ſi corruptæ dicatur, Contraho tecum ſi es virgo? refertur opinio affirmans rejici, num. 15. *Et ibi, ad præteritum non eſt potentia. Et verior opinio*, 16.

Valet hæc conditio, ſi es virgo, contraho tecum, 17.

Solvuntur arg. & explicatur l. Si Mævia, ff. de hæred. inſtit. n. 18. *& ibi an rejiciatur hæc conditio, Si filia tua vivit, contraho tecum, caſu quo ille numquam habuerit filiam.*

An conditio impoſſibilis contra ſubſtantiam matrimonii rejiciatur: ut Contraho tecum, ſi fueris angelus, vel ſi veneris ad exequias meas, vel ſi non aſcenderis capitolium? 19.

1 CUm multiplex ſit conditio impoſſibilis. Quædam enim eſt per naturam impoſſibilis, ut ſi cœlum digito tetigeris. Quædam jure impoſſibilis, quando ſcilicet jus, oppoſitum jubet: ut Contraho tecum, ſi licet inter conſanguineos contrahere. Quædam eſt facto ipſo impoſſibilis, ut ſi quis pauperi dicat, Contraho tecum, ſi centum mille aureos in dotem dederis. Quædam eſt natura ſua poſſibilis, at ex accidenti, ut ex lapſu temporis, eſt impoſſibilis: ut Contraho tecum, ſi es virgo, vel, ſi pater tuus adhuc vivit. Quædam ſunt conditiones impoſſibiles contra ſubſtantiam matrim. De his ergo omnibus, hoc eodem ordine quo propoſitæ ſunt, in hac diſp. eſt agendum.

2 1. Tamen generaliter circa has omnes conditiones impoſſibiles, dubitatur: an cum apponuntur, de præſenti, aut præterito, habeantur pro non adjectis: vel tantum quando apponuntur per verba de futuro? Duplex eſt ſent. 1. ait *d. c. fin.* dum decidit conditiones impoſſibiles habendas eſſe pro non adjectis, intelligi quando apponuntur de futuro: ut Contraho tecum, ſi cœlum digito tetigeris, ſecus quando de præterito, aut præſenti: ut Contraho tecum, ſi cœlum digito tangis, aut tetigiſti, tunc enim non habentur pro non adjectis, ſed vitiant matrimonium, & irritum illud reddunt. Prob. quia verba juris ſunt proprie intelligenda, ſed conditiones de præterito, aut præſenti non ſunt proprie conditiones. Ut conſtat, quia non ſuſpendunt; quod proprium eſt conditionis, ergo cum *d. c. fin.* loquatur de conditionibus impoſſibilibus, intelligi debet de proprie conditionibus, quando ſcilicet, ſunt per verba de futuro. 2. quia eodem tenore definit ibi Pontifex rejiciendas eſſe matrim. conditiones impoſſibiles, & turpes, ſed hæ non rejiciuntur, quando ſunt de præterito, aut præſenti (ut dicemus hoc 5. lib. diſp. 15. nu. 5.) ergo nec illæ. Et confirmatur, quia in *eod. c.* aſſerit Pontifex conditionem contrariam ſubſtantiæ matrim. annullare, ſed non annullat, quando eſt de præſenti, aut præterito, ſed tantum quando eſt de futuro, ergo ſimiliter dum decidit conditiones impoſſibiles eſſe rejiciendas, intelligit de conditionibus de futuro. Sic videtur tenere *Silv. matrim. 3. q. 1. fine*, nam ubi dixerat conditiones impoſſibiles, & turpes haberi pro non adjectis, ſubdit hæc dicta eſſe de conditionibus propriis de futuro, nam de præſenti, vel præterito ſtatim eſt matrim. ſi ſunt veræ, vel non, ſi ſunt falſæ, niſi ſint contra matrim. ſubſtantiam. Eamdem tenent aliqui viri docti neoterici, & fertur fuiſſe Magiſtri Cano: & tenet *Petr. de Ledeſm. de matr. q. 47. art. 5. dub. 1. §. Hoc poſito fundamento.*

3 II. Tamen ſent. (cui adhæreo) ait, rejiciendas eſſe, quamvis ſint de præterito, vel præſenti. Prob. quia eodem modo rejiciuntur a matrim. quo ab ultima voluntate, ut probavi diſp. præc. nu. 7. ſed ab ultima voluntate rejicitur impoſſibilis de præſenti, ut patet ex *l. Si Mævia 45. ff. de hæred. inſtit.* ubi conditio, ſi filia teſtatoris vivet, caſu quo numquam habuit filiam, rejicitur a teſtamento, tanquam impoſſibilis. Et dicit *gloſſ. verb. Vivent; ideſt, vivunt in præſenti tempore*. 2. quia Pontifex dum *d. c. fin.* decernit conditiones impoſſibiles eſſe rejiciendas, non ideo id decernit, quia obligant ad aliquid impoſſibile, ſed quia omnino impoſſibiles ſunt, at tam impoſſibiles ſunt, ſive apponantur de præterito, præſenti, aut de futuro, ergo ſimiliter ſunt rejiciendæ: ſicut etiam hoc lib. 5. diſp. 2. nu. 2. de conditionibus neceſſariis diximus, non eſſe differentiam, an apponantur de præſenti, præterito, aut futuro: quia ſemper ſunt neceſſariæ, & præſentes in ſuis cauſis. Et ita hanc ſent. tenent *Durand. 4. d. 28. q. 2. n. 5. Palud.* dicens forte hoc eſſe verum, *4. d. 29. q. 2. art. 5. n. 28. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. nu. 2. Greg. Lop. l. 6. verb. Monte de oro*, *ad fin. tit. 4. p. 4. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi*, *materia de matr. c. 42. f.* 1083. Idem tenet *Adrian. 4. q. 3. de dub.* 11. ubi exemplificat in conditione impoſſibili de jure quam dicit habendam pro non adjecta: in conditione de præſenti, ut ſi inter conſanguineos poteſt conſiſtere matrim. Idem expreſſe *Alex. Carrer. de ſponſal. l. 4. c. 5.* habetur tom. 9. tract. *Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 25. concl. 7.* ubi aſſerens conditiones impoſſibiles haberi pro non adjectis, exemplificat, ut ſi Deus non eſt: quæ eſt conditio de præſenti.

4 Ad 1. argum. ex propoſitis n. 2. dico conditiones de præſent. aut præterito, non eſſe proprie conditiones, at dum textus dicit conditiones impoſſibiles, non attendit ad proprietatem conditionis, quæ eſt ſuſpendere, ſed ad impoſſibilitatem, quæ æque proprie reperitur in conditione impoſſibili de præterito, & præſenti. Ad 2. nego conſeq. quia turpes non rejiciuntur, ex eo quod turpes ſint, ſed quia incitant, & obligant ad peccandum, ut dicemus hoc lib 5. diſp. 15. n. 4. quare cum hoc ſolum inveniatur in turpibus de futuro: ſolum turpes de futuro rejiciuntur. At impoſſibiles rejiciuntur ex eo quod impoſſibiles ſunt, quæ impoſſibilitas in conditione de præſenti, & præterito reperitur. Ad confirm. pariter negatur conſequentia, quia conditio contra ſubſtantiam annullat, quia eſt obligatoria ad implendum aliquid contra ſubſtantiam, aut bona matrim. quæ ratio ſolum habet locum in conditione de futuro: at impoſſibilitas in utraque reperitur.

5 2. Dubitatur, an oporteat eſſe notam contrahenti impoſſibilitatem conditionis, ut ea rejiciatur? & habeat hæc deciſio locum in conditionibus etiam natura impoſſibilibus? ſatis de his dixi diſp. præced. n. 7. & ſeq. ſi tamen conditio ſit pro parte poſſibilis, & pro parte impoſſibilis, rejicitur quatenus eſt impoſſibilis, & implenda eſt quatenus eſt poſſibilis: per *l. Qui dotem ff. de dote præleg. & l. penult. ff. de condit. & demonſtr.* Sic *Bart. l. 1. n. 10. ff. de condit. inſtit. Anchar. c. fin. n. 9. de condit. appoſitis.*

6 3. Dubitatur, de conditionibus jure impoſſibilibus, an rejiciantur a matrim. juxta *d. c. fin.* Ut contraho tecum, ſi inter conſangui-